1. 5. 63

JG Schubert.

189[illegible]

Libellus hic Franc. Merc. von Helmont est rarissimus. Vid. Thes. Biblioth. T. I. p. 381. & Bruckeri Hist. philos. T. IV. p. 723.

SEDER OLAM
SIVE
Ordo Seculorum,
HISTORICA
ENARRATIO DOCTRINÆ.

ANNO 1693.

SEDER OLAM
SIVE
ORDO SECULORUM.

1. Quia DEUS tantum unus est, nomina trium Personarum improprie admodum Mysterio Patris, Verbi & Spiritus Sancti applicantur. Præstaret Sacræ scripturæ verbis adhærere in tanto mysterio explicando. Hoc enim & nobis tutum est & scandalum amovetur ab eis, quibus nomina illa trium personarum offendicula sunt.

2. Quia DEUS omnia operatur secundum infinitam Sapientiam, ideo nulla est in eo Voluntatis indifferentia, et ideo in omnibus, quæ operatur, est agens necessarium; Et tamen est agens etiam quam liberrimum.

3. Mundos igitur necessario creavit, non quidem ab aliquo agente extrinseco coactus, sed ab interna sua bonitate & sapientia determinatus.

4. Attributum ergo Creatoris DEO est essentiale, quia nulla sunt in DEO accidentia.

5. DEUS igitur ab æterno Creator eſt, & ideo creaturas ab infinitis ante hoc ſeculis creavit. Et etiam novas continuo creat, atque in omnem æternitatem ſecuturam quoque creabit.

6. Mundi igitur, (quoad nos) ſunt infiniti & innumerabiles.

7. Hoc vero (præter alia diſcrimina) inter DEUM & Creaturas diſcrimen intereſt, quod DEUS ſit prorſus immutabilis, creaturæ vero omnes aliquo modo mutabiles.

8. Creaturarum vero mutabilitas dupliciter eſt diſtinguenda, aut enim mutabiles ſunt Creaturæ ad bonum vel malum, quod omnium quidem creaturarum ſors & conditio eſt, pro aliquo tempore, aut tandem poſt aliquod tempus mutabiles ſunt tantum ad bonum.

9. Quæ quidem ad bonum mutabilitas creaturarum in omnem manet æternitatem, nulla enim creatura ſic perfecte bona eſt, quin majoris ſemper gradus & menſuræ bonitatis in omnem æternitatem ſit capax.

10. Porro inter DEUM & Creaturas medium aliquod ens neceſſario intercedit, quod DEO quidem ſummo minus, creaturis vero omnibus ſit majus & perfectius.

11. Ens autem hoc medium inter DEUM & Creaturas eſt Chriſtus, Adamus ille cæleſtis.

12. DEUS autem per hoc medium uti-

que Chriſtum omnes quaſcunque creaturas creavit & produxit.

13. Hoc vero inter alia diſcrimen eſt inter Chriſtum & Creaturas, quod Creaturæ omnes ſint pro aliquo tempore ad bonum & malum mutabiles, Chriſtus vero ad bonum ſit mutabilis tantum, ad malum vero nunquam in aliquo tempore mutabilis ſit.

14. Et ideo Chriſtus filius DEI magis quam Creatura DEI jure merito eſt appellandus, ejuſque productio generatio magis quam Creatio eſt exiſtimanda.

15. Chriſtus ille Adamus Cœleſtis & homo eſt & DEUS utramque naturam & DEI & hominis in ſe complectens.

16. Quia enim diviniſſima hæc Chriſti humanitas cum Verbo DEI, quod DEUS eſt, quam intime & perfectiſſime unitur, ideo homo ille cœleſtis & divinus Jeſus Chriſtus, vere Deus eſt.

17. Naturæ autem DEI & hominis in Chriſto non ſunt confundendæ, ſed plane diſtinguendæ, ſic ut natura deitatis in humanitatem, ut nec humanitatis natura in deitatem converſa, nunquam ſit intelligenda.

18. Quia vero tanta eſt hominis Chriſti ſupra omnes creaturas excellentia, ideo & Chriſto homini attributa quædam divina ſunt concedenda, qualia nullis creaturis cummunicabilia ſunt, ex. gr. Omnipræſentia & Omniſcientia.

19. Quæ tamen Omnipræſentia & Omniſcientia hominis Chriſti inferioris ordinis ſunt ab eis, quæ ad ipſum DEUM pertinent.

20. DEUS enim ſic omnibus præſens eſt, ut ubique centraliter exiſtat; humanitas vero Chriſti diviniſſima non habet centrum ſuum ubique præſens, ſed per radios eſſentiales a centro animæ ſuæ diviniſſimæ emanantes in omnes Creaturas & mundos ubique extenditur.

21. Omniſcientia denique humanitatis Chriſti inferioris ordinis eſt ab ea, quæ ad deitatem pertinet, deitas enim glorioſiſſima cum omnia absque objectis ipſis creatis, vel tanquam cauſis inſtrumentalibus ad DEI cognitionem excitandam concurrentibus perfectiſſimè cognoſcat, anima vero diviniſſima hominis Jeſu Chriſti omnia cognoſcit; aut ipſâ objectorum perceptione, dum in eam aliquo modo influunt, aut quoad futura per divinam revelationem a DEO Patre ipſi innoteſcant.

22. Quia vero Jeſus Chriſtus homo ille cœleſtis, filius ſit ipſius DEI ſummi optumi & maximi primogenitus, & propter mirandam ejus cum ipſo DEO ſummo unionem ſit ipſe Deus, ipſi DEO Patri æqualis, et etiam quia univerſo humano generi & amantiſſimus ſit & ubique præſens & omniſcius, ſicut opem ferre univerſis hominibus in quacunque neceſſitate poſitis, & poſſit & velit, ideo ab omnibus hominibus

jure

jure merito est invocandus, colendus & adorandus, Et ipsum DEUM summum & Patrem non nisi in Christo & per Christum mediatorem invocare, colere & adorare debitè & acceptè poterimus.

23. Dari autem tale medium aut essentiam mediam inter DEUM & Creaturas ex ipso ordine entium clare demonstratur; Sicùt enim DEO summo & altissimo convenit, quod sit ens prorsus immutabile, ita omni creaturæ aut enti creato convenit ex naturâ suâ, quod sit mutabile sive ad bonum, sive ad malum, sed inter prorsus inmutabile & prorsus mutabile datur aliquod medium, de utroque extremo participans, quod nempe sit immutabile ex natura sua ad malum & mutabile ad bonum quod medium, ut supra dictum, est Christus ille Adamus Cœlestis.

24. Et ideo ordine naturæ prior est omnibus creaturis quibuscunque, omnemque totius Creaturæ Universitatem antecellit, quin & Universæ Creaturæ Caput & Dominus est.

25. In medio autem hoc divinissimo, Jesu Christo, plenitudo deitatis inhabitat corporaliter, secundum Apostoli Pauli testimonium, quod sic profecto intelligendum est, ut Christi divinissima humanitas, ipsius DEI altissimi & gloriossimi sit & immediatum habitaculum, & domus, & quoddam quasi deitatis corpus, quo ipso DEUS a Creaturis suis percipi possit & ap-

prehendi, & quo mediante ſuaviſſimo & beatiſſimo DEI conſortio, cum ad id ritè præparantur, frui poſſunt. Ideo eſt, quod ſecundum ipſius Chriſti verba, ſanctos ſuos & fideles carne ſuâ & ſanguine paſcat in vitam æternam, quæ caro & ſanguis Chriſti divinæ & Spiritualis ſunt naturæ, nec tamen ipſa DEI eſſentia, ſed mediæ cujusdam naturæ inter DEUM & Creaturas, DEUS enim per Chriſtum corporaliter quaſi ſe exhibet creaturis ſuis, qui tamen ſecundum ſuam eſſentiam purè ſpiritus eſt, omnis corporeitatis penitus expers.

26. Porro, Quia diviniſſima hæc Chriſti humanitas deitatis quaſi corpus & domus ſit, (nam græca vox σῶμα quaſi δῶμα hoc ipſum importat) ideo Chriſtus de naturâ corporeitatis aliquo modo participat, alioquin certe verum & proprium medium inter DEUM & Creaturas eſſe non poſſet.

27. Creaturæ enim omnes vel excellentiſſimæ & nobiliſſimæ ſecundum aliquem modum aut gradum corporeæ ſunt.

28. Spiritus igitur & corpus contrarias ſibi invicem eſſentias non habent; ut falſo & vanè affirmatur a multis, omnis enim ſpiritus creatus corporeus eſt, veram corporis eſſentiam & naturam in ſe habens, nempe ut ſit ens extenſum, finitum, locatum, mobile &c.

29. Et ideo anima humana (quæ & ſpiritus eſt) corporea eſt, veram corporis

na-

naturam & essentiam in se complectens, angeli quoque purissimi & spiritualissimi Corporei sunt, & Corpora quasi spiritualia.

30. Porro, sicut omnis Spiritus aut Anima in totius Creaturæ universitate corpus est, veram in se habens corporis essentiam & attributa, ita corpus omne in aliquo modo aut gradu, animale est & spirituale, hoc est, vitam & sensum ac cognitionem habens aut saltem eorundem attributorum capax.

31. Neque profecto timendum est, animas humanas posse unquam mortales fieri aut in pulverem, aut fumum aut aërem converti, aut in lapides & terram dissolvi, si corporeæ esse admittantur, non enim omne, quod corporeum est aut corpus, ex eo, qood corpus est, ideo dissolubile est, sunt enim & corpora immortàlia & penitus indissolubilia, ejusmodi erunt corpora sanctorum & fidelium glorificata in resurrectione mortuorum, cum mortale induet immortalitatem, & corruptibile incorruptum, secundum Apostoli verba.

32. Quia igitur omne spirituale corporeum est, & omne corporeum spirituale, in aliquo modo aut gradu, ideo Creaturæ omnes, a summis ad infimas, cognationem quandam & affinitatem naturæ habent, aliæ ad alias, summæ ad infimas, & infimæ ad summas, imò certe, quoad origina-

lem ſuam eſſentiam & conditionem, unius & ejusdem naturæ ſunt, nec ulla eſt creatura viliſſima, quæ aut non in nobiliſſimam, aut in nobiliſſimæ ſaltem aliquam partem mutabilis ſit.

33. Rejicienda ideo eſt falſiſſima illa & vaniſſima multorum Philoſophorum ſic dictorum imaginatio de corpore aut materiâ, quaſi quædam eſſet res non tantum penitus inanimis & vitæ expers, ſed vitæ quoque omnis per totam æternitatem prorſus incapax; Quod certe abſurdiſſimum dogma in atheiſmum nimis multum vergit, & in DEI bonitatem, ſapientiam, & potentiam, aliaque DEI optimi & maximi attributa graviſſime impingit.

34. A DEO enim, qui & ipſa vita eſt & vitæ fons, nihil vitam non habens aut vitæ non capax procedere poteſt. Nam præſtantiſſima ſua bonitate, ſapientia & potentia DEUS creaturas ſuas omnes condidit, ut in eo tandem beatæ ſint, eo gaudeant & fruantur, et in eo, tanquam in fine ſuo, dulciſſimè requieſcant, ut etiam DEUM Creatorem ſuum per omnem æternitatem laudent, honorent & glorificent, quæ, ſi vitæ expertes & incapaces eſſent, facere nunquam potuerint.

35. In prima autem rerum creatarum conditione medias aliquo modo creaturas effecit Creator præſtantiſſimus & ſapientiſſimus, ut mediâ hac & mutabili ſuæ na-

turæ conditione & ſorte, aut in meliorem ſtatum, adjuvante DEI gratiâ, aut in pejorem, proprio nutu & libitu mutari potuiſſent.

36. Primum igitur opus DEI eſt, circa Creaturas, illas creare, creatas deinde hoc aut illo modo formare, aut in melius ſi gratiæ divinæ ductum in omnibus fideliter ſequantur, aut in deterius juſtiſſimo DEI judicio, ſi divinæ gratiæ ductum rejicientes, proprio nutui & voluntati contra legem Divinam ſeſe abdicent.

37. Hinc illa diverſa & ſibi invicem contraria creaturarum quam plurimarum ſors & Conditio. Quia enim creaturæ quam plurimæ primævam integritatem & innocentiam conſervarunt, nec unquam legem divinam ſunt transgreſſæ, ideo beatæ ſunt & beatiſſima DEI viſione & conſortio fruuntur, puræ quoque ſunt, ſanctæ & immaculatæ, plenæ lucis & vitæ divinæ, qua lucent in gloria & pulchritudine a nobis mortalibus certe incomprehenſibili. Quia vero aliæ quam multæ a primævâ ſuâ puritate per inobedientiam & legis divinæ transgreſſionem defecerunt, ideo miſeræ ſunt, & peccatis inquinatæ, commaculatæ & obtenebratæ.

38. Et hinc eſt, quod ex mundo Creationis alii quoque mundi proſilierint, nempe mundus formationis, tàm ſuperior quàm inferior, & ille quidem animarum nunquam lapſarum, quarum ſedes & regio eſt

Paradiſus cœleſtis, hic autem animarum lapſarum, & peccatis aliquo modo inquinatarum, quarum ſedes et regio eſt extra beatum illum Paradiſi locum, in mundi locis & partibus externo aſpectui noſtro inviſibilibus.

39. Ex mundo denique formationis, qui inferior eſt, proſiliit hic, in quo degimus mundus factionis, univerſas res viſibiles ab aſtris remotiſſimis ad terræ profunditatem in ſe complectens, qui ideo mundus factionis appellatur, quod mors & ſtupor ſic in plerisque ejus partibus prævaleant, ut omnia fere mechanice magis quam ex vitali principio in hoc mundo procedere videantur, quod tamen comparate tantum eſt intelligendum ad mundos ſuperiores, ubi vitale quidem principium multo magis regnat, quam in mundo hoc inferiore, nec tamen mundus hic inferior in aliqua ejus parte vel ſtupidiſſima, vita aliquali, ſecundum aliquem gradum penitus deprivatur.

40. Nihil igitur, quod ad mundum hunc viſibilem attinet, immediate creatur, non enim viſibilis hic mundus, proprie eſt mundus creatus, ſed mundus factus, et ex præ-exiſtentibus principiis compoſitus, quæ præ-exiſtentia principia ad mundum formationis pertinent, & mundus etiam formationis ex præ-exiſtentibus principiis mundi creationis ſuam habuit originem. Solus igitur mundus Creationis proprie & ſtricte cre-

creatus eſt, ejusque productio proprie creatio eſt appellanda, quod ille quidem non ex principiis ullis præexiſtentibus, tanquam ex ſubjecto aut partibus totum componentibus exiſtat, ſed ſolum DEUM Patrem & Chriſtum unigenitum pro autore & Origine habeat.

41. Qui ergo in hoc mundo naſcuntur homines, proprie loquendo, non immediate creantur, nec quoad animam, nec corpus. Et corpus quidem externum proprie eſt, cum vita ſua, quod ad hunc mundum factionis pertineat, anima vero hominis, quæ neſhama dicitur, ad mundum pertinet Creationis, ad mundum denique formationis pertinet ſpiritus, qui medium obtinet locum inter animam & corpus externum, & ſpiritus hic apud Hebræos Ruah appellatur, vitæ autem & ſpiritus externi corporis Nepheſh apud eoſdem nominatur. Tria ergo habentur in quolibet homine principia vitalia, Neſhama, Ruah & Nepheſh. Neſhama eſt mundi creationis, Ruah eſt mundi formationis, Nepheſh eſt mundi factionis; Porro Nepheſh indumentum ſive vehiculum eſt τȣ̃ Ruah, Ruah vero indumentum ſive vehiculum eſt τȣ̃ Neſhama.

42. Primo omnium igitur, creantur homines in mundo creationis, ſecundo formantur in mundo formationis, (ubi vehiculum ſuum aut indumentum aſſumunt, quod Ruah dicitur & hoc Ruah eſt corpus

quod-

quoddam ſubtile aut ſpirituale, cujuſmodi eſt corpus angelorum non conſummatorum) tertio fiunt, aut facti ſunt in mundo factionis, & hoc quidem totum ipſius ſcripturæ teſtimonio expreſſè confirmatur, Jeſaiæ Cap. 43:7. Omnem, qui vocatus eſt in nomine meo & ad gloriam meam, creavi eum, formavi eum, etiam feci eum; Et conſequenter ad hæc verba ſcripturæ Hebræi mundum illum creationis appellant Briah, mundum formationis Jezirah, & mundum factionis Aſiah, quæ tria verba hebraica expreſſè in loco ſcripturæ ſupra citato habentur.

43. Quin & ſupra ipſum mundum Briah, quo non altius aſſurgit origo noſtra [ſi partes humanam naturam componentes reſpiciamus] alium mundum nobiliorem & ordine naturæ cæteris priorem intelligunt ab ipſo DEO autore immediatè emanantem, quem ideo mundum emanationis appellant, Hebraice autem Aziluth eum vocant, quod ipſi DEO ſummo & optimo proximum ſignificat. Et hoc nulli alii quam Chriſto ſalvatori & mediatori inter DEUM & homines convenire poteſt.

44. Rectè igitur & omninò ſecundum ſcripturæ teſtimonium docent Hebræi illi doctores quatuor exiſtere illos mundos prædictos, nempe Aziluthicum, qui Chriſti eſt; Briaticum, qui animarum eſt, Jeziraticum, qui angelorum eſt nondum conſum-

summatorum & Asiaticum, qui hominum est externo corpore vestitorum. Mundus autem Aziluthicus est omnium ut nobilissimus ita & maximus & tantum unus, etiamsi sub decem emanationum numero a Hebræis distinguatur, quarum tamen emanationum distinctio tantum modalis est, non essentialis. Mundi autem Briatici, Jeziratici & Asiatici numero & multitudine quoad nos sane infiniti sunt & innumerabiles. Quia certe, ut a me supra dictum est, DEUS continuò Creator est, attributum enim Creatoris est illi essentiale, & ideo novos continuo mundos creat & in æternum quoque creabit, ex illis denique novis mundis creatis, novi quoque alii mundi oriuntur Jeziratici & Asiatici. Et ideo vere a Salomone dictum fuit, non posse nos exquirere principium aut finem operis DEI. Vere etiam alibi dictum est, quod non est invenire magnalia DEI.

45. Mundus porro Jeziraticus, ex quo mundus Asiaticus tanquam ex radice sua prosiliit, totum mundum Asiaticum radiis suis essentialibus & vitalibus ubique permeat, pervadit & penetrat. Mundus quoque Briaticus & mundum totum Jeziraticum & Asiaticum ubique suis radiis essentialibus & vitalibus perfundit; Et denique mundus Aziluticus omnes tres inferiores mundos radiis quoque suis essentialibus & vitalibus non tantum perfundit, permeat,

& pe-

& penetrat, ſed ſinu quoque ſuo, ut mater prolem, quam intime complectitur. Et ſic quidem omnes hi quatuor mundi, ſibi invicem quam intime præſentes ſunt, ita tamen ut tertius quarto, ſecundus tertio & primus ſecundo ſubtilior & ſpiritualior ſit, conſequenter magis penetrans & perfundens.

46. Ex ſupra dictis clare liquet animarum omnium humanarum, antequam in corpora hæc craſſa & terreſtria pervenerunt, præ-exiſtentia. Nihil enim quod proprie creatur, eſt mundi hujus viſibilis, qui factionis eſt, anima autem proprie creatur, & ideo non ſuam habet originem aut exiſtentiam primam in hoc mundo viſibili, ſed in mundo Creationis primo extitit, deinde ex mundo creationis in mundum formationis, & tandem ex mundo formationis in mundum hunc factionis, omnium poſtremo, deſcendit.

47. Ad mundum vero hunc Aſiaticum & viſibilem quod attinet, ortum ſuum & originem habet ex mundo Jeziratico, propter magnum aliquem lapſum per divinæ legis transgreſſionem animarum in eo contentarum, qui lapſus animarum ſi nunquam fuiſſet, mundus hic Aſiaticus qui factionis eſt, nunquam extitiſſet.

48. Non tamen ipſæ animæ mundi Jeziratici in partes mundi Aſiatici converſæ ſunt, utpote in pulverem terræ lapides, plantas & arbores, talis enim animarum

con-

converſio plane impoſſibilis eſt, ſed corpora iſtarum animarum, ab ipſis animabus diſtincta & per animarum earum peccata ab ipſis quaſi morte quadam ſeparata, talem mutationem aut converſionem in partes mundi aſiatici ſubierunt.

49. Recte igitur mundus hic Aſiaticus Golgotha appellatur, ſive locus craniûm & ſepulchrorum, qui nempe nil aliud ferè ſit, quam maſſa quædam & congeries cadaverum & corporum & mortuorum, quæ animæ propter peccata ſua in mundo Jezirati co depoſuere, & depoſita tandem in talem ſtuporem, mortem & craſſitiem, qualem nunc habent, devenêre.

50. Et ideo ſalvator & redemptor noſter Jeſus Chriſtus, poſtquam in carnem veniſſet, in ſimilitudine carnis peccati, crucifigendus erat in Golgotha, qui eſt locus craniûm aut ſepulchrorum, quo mundus hic Aſiæ & factionis typicè ſignificatur, ut ſic in ipſo loco mortis ipſam mortem vinceret, ſalvator noſter Princeps Vitæ, qui & ipſa vita eſt, quod ut faceret divina Sapientia hæc idem ordinante, ipſe in corpore carnis mori debebat, & a morte demum reſurgere in eodem, quo mortuus eſt, corpore, ut primitiæ fiat reſurrectionis mortuorum, & corpore ſuo facto inmortali & glorificato ipſe tandem Sanctorum corpora immortalia reddat & glorificata, in quibus cum Chriſto in cœ-

lis

lis in æternum vivant & regnent.

51. Mundus ergo hic Aſiaticus retro convertendus eſt & reducendus in mundum Jeziraticum ſuperiorem & optimum, ut partes ejus univerſæ readunentur animabus priſtinis, ad quas olim pertinebant, ut ſic tandem & animæ & corpora in hoc mundo tanquam in probatorio quodam multarum afflictionum & perpeſſionum purificentur ab omni fece peccati & mortis, & denique indiſſolubili & nunquam rumpendâ amborum unione in æternum glorificentur.

52. Et tum quidem corpus naturale aut animale convertetur in ſpirituale, quod longe nobilius eſt, immo totus hic mundus materialis & craſſus, ubi mors & ſtupor mirè regnant, ſpiritualis, vita & ſpiritu plenus efformabitur.

53. Quæ tamen magna & plane miranda rerum omnium vel etiam viliſſimarum hujus mundi aſiatici mutatio & converſio non ſimul fit nec citò, ſed per partes, & in variis ætatum & ſæculorum ſucceſſionibus, ſecundum divinæ ſapientiæ prædeſtinationem.

54. Sæcula igitur mundorum, quoad omnem intellectum humanum, verè innumerabilia ſunt & infinita, idque non tantum reſpectu futurorum; quæ futura ſunt, ſed reſpectu præteritorum, quæ præterita ſunt.

55. Quin & ipſe mundus Aſiaticus a pluribus certe annorum ſæculis, quam a nobis mor-

mortalibus numerari poſſit, olim extitit.

56. Mundus ergo hic aſiaticus, in quo nos vivimus, in quam-plurimos mundos, ſupra quam intellectus mortalium aſſequi queat, veluti totum quoddam in ſuas partes diſtinguendus eſt.

57. Commodiſſimè autem particulares illi mundi Aſiatici, reſpectu annorum, quibus conſtant, diſtinguuntur.

58. Unusquisque vero mundus particularis aſiaticus annis conſtat ſeptem mille, qui unam quaſi ſeptimanam conſtituunt, dies ſeptem complectentem.

59. Mille enim anni ſunt apud Dominum ut dies unus, & dies unus ut mille anni, ut habetur in Pſalmo 90. & confirmatur a Petro Apoſtolo, Epiſtola 2. 3

60. Septimum vero uniuscujusque Septimanæ mundi millenium, iſtius mundi Sabbatum eſt.

61. Ergo & hic quoque noſter mundus annis conſtat ſeptem mille, cujus quoque Septimum millenium mundi noſtri eſt Sabbatum, aut Sabbatiſmus, prout habetur Heb: 4.

62. Et hujus quidem myſterii Sabbatum illud dierum, quod a DEO Judæis obſervari mandatum fuerat, eſt typus aut figura, ejusdem quoque rei typus eſt Sabbatum annorum, menſium & hebdomadum olim Judæis a DEO obſervari mandatum.

63. Quod vero annus quisque quinquage-

gesimus septem annorum hebdomadas complectens, Jubilæus fuerat, in quo quisque captivus libertati suæ erat restituendus, & cuique redeundum erat ad propriam familiam, domum & possessionem, hoc certe quinquaginta mille annos significat, qui 7. septimanas mundorum complectitur. In anno igitur quinquagesimo millesimo sive in fine mundi septimi cujusque multæ animæ salvandæ sunt & DEO per Christum restituendæ, quæ in mundis aut septimanis antecedentibus salutem nondum obtinerent, sed pœnas ignis infernalis propter nefanda sua scelera justissimo DEI judicio luerent.

64. Sunt enim quorum peccata in hoc mundo aut sæculo a DEO propter Christum remittuntur, cujusmodi sunt omnia peccata ignorantiæ & alia omnia, de quibus homines sincerè pœniteant; sunt vero quorum peccata nec in hoc mundo, nec in futuro remittentur & tamen in aliquo tertio remissa erunt; sunt denique, qui non remittuntur nisi in quarto, & sic deinceps usque ad septimum, secundùm justissimum DEI judicium, quin & longe ultra septimum etiam ad septuagesimum septimum millesimum annum quorundam valde atrocium peccatorum remissio deferenda esse videtur, hoc est, non nisi transactis undecim septimanis. Et talis fuisse peccator videtur Lamechus ille malus, qui de se ipso uxoribus suis prædicavit, de se quidem vindi-

can-

candum fore septuagesies septies, hoc est, ut videtur, annos 77000. De Caino vero, qui non ita malus erat septies vindicandum, hoc est, annos 7000. totum nimirum tempus hujus mundi.

64. Quod si unus dies sit apud Dominum, ut mille anni, igitur secundum eandem rationem unus annus, hoc est, dies 365. erunt ut anni 365000. quæ certe periodus annorum 365000. magnum aliquod seculum esse videtur mundos circiter 52142 complectens, intra quod spatium, quicquid forsan est humani generis hujus terræ ad DEUM est convertendum.

65. Non tamen propter hoc desinet esse mundus asiaticus, quia partes mundi asiatici continuò multiplicantur, propter multiplicationem continuam aliorum mundorum, nempe Jeziratici & Briatici, de quo dictum supra.

66. Qui igitur putant damnatorum poenas fore perpetuandas in omnem æternitatem absque fine aliquo aut termino, multum errant & nimis indignas habent cogitationes circa DEUM, imò DEI naturam non recte agnoscunt nec considerant. Ea enim est DEI natura, ut sit ipse amor, secundum expressa Johannis Apostoli verba, quia denique natura DEI est immutabilis, ideo omnes suas creaturas necessario amat, idque constanter & immutabiliter, nec quidquam potest absolutè odisse

eorum, quæ unquam creavit, & quia amor est de ipsius DEI naturâ, ideo, quicquid DEUS operatur aut facit ad Creaturas suas, etiam cum severissimè punit eas propter peccata, id omne ex amore procedit; Amat ergo DEUS Creaturas suas etiam in miserrimo statu suo, quo possint existere, & ideo non potest illis non benefacere & sic tandem ex miseriâ illas eruere. Et ideo pœnæ omnes, quas justissima DEI justitia & vere tremenda infligit super peccatores, sunt vera divini amoris ad eosdem effecta & signa, quarum omnium finis certissimus, est peccatorum istorum e peccatis & pœnis omnibus propter peccata inflictis redemptio & liberatio, & tandem in justitiam & sanctitatem restitutio & glorificatio, quod ipsum clarè a Johanne in Apocalypsi confirmatur cap. 5. v. 13. qui ait, se in visione suâ Propheticâ vidisse omnem creaturam in cœlo & in terrâ & subter terram &c. collaudantem DEUM, & dicentem benedictio, & honor, & gloria, & potentia sedenti super Thronum, & agno in sæcula sæculorum. Hoc idem etiam satis apertè declarat Apostolus Paulus Eph. 1. 10. Philipp. 2. 10. Coloss. 1. 20.

67. Quia autem dum humanus aliquis Judex punit delinquentem, amare eum debet, huncque puniendi finem sibi proponere, ut pœna inflicta cedat punito in bonum, ut melior evadat, quanto magis

DEUS,

DEUS, quos punit amabit & pœnas tales unicuique delinquenti infliget, quibus tandem debitis & ſtatutis temporibus ſecundum optimam DEI ſapientiam quisque peccator e peccato & miſeria in juſtitiam & felicitatem redeat æternam.

68. Nec obſtat quod vulgò objicitur, peccatum leviſſimum pœnam mœreri ſempiternam & maximam, quod ſit contra DEUM, qui bonitas eſt infinita, quia enim DEUS bonitas eſt infinita, ideo voluntas remittendi peccatum tam neceſſaria eſt in Deo, quam voluntas puniendi; deinde hoc clarè patet cum ex ſcriptura, tum ex multifaria experientia & obſervatione, DEUM non punire leviſſima & graviſſima peccata in eodem gradu, ſed leviora levius & graviora gravius punire conſuevit, propter infinitam ſuam juſtitiam, bonitatem, & ſapientiam. Non ergo valet conſequentia ab infinitate & ſummitate objecti, contra quod peccator ad infinitatem & ſummitatem pœnæ;alioquin leviſſimum peccatum ſummè puniretur.

69. Quia ergo ſunt gradus pœnarum ſecundum gradus peccatorum, & nullum peccatum ſecundum ſuam naturam infinitum eſt, ideo omnes pœnæ damnatorum, tam angelorum lapſorum, quam hominum finem habebunt, poſt longa quædam tempora a DEO inſtituta.

70. Quo vero quisque longius habebat

tem-

tempus peccandi, longius quoque habet tempus pœnas a DEO propter peccata sustinendi.

71. Poenarum vero diversitas clarè ex verbis Christi apparet, quosdam enim peccatores ait reos esse Concilii, quosdam judicii, quosdam ignis gehennæ, deinde quædam peccata remittuntur in hoc seculo, quædam vero neque in hoc seculo, nec proximè futuro, quæ tamen in aliquo tertio aut quarto &c. remitti possunt. Illa quoque verba Christi bene perpendenda sunt, missos in carcerem non exstituros donec solverint ultimum quadrantem, ubi denique ait, tolerabilius fore in die Judicii Sodomæ & Gomorrhæ quam generationi isti incredulæ Judæorum. Porro, qui salvantur in fine hujus mundi, & qui non nisi in fine sequentis mundi, hoc est transactis quatuordecim millibus annorum, pulchrè sub figura depingi ænigmaticè videtur Exod. 12. mulier enim, quæ masculum peperit, immunda fuit 7. dies & die octavo masculus ille circumcidebatur, dies autem hic octavus glorificationem corporis mortalis transactis 7000. annis, hoc est, in principio millenii octavi clarè significat. Quod si puellam peperit, immunda fuit 14 dies. Per masculum significari videtur spiritualis nostra per Christum regeneratio, per puellam vero, propria hominis justitia. Qui enim propriâ suâ justitiâ tantum justi sunt,

in

in hoc mundo salvari non possunt, in mundum verò sequentem mittuntur, ut propriam abnegantes, in Christo regenerentur & sic veram Christi justitiam in regeneratione spirituali induentes, tandem salutem obtineant æternam.

72. Verba autem: in sæcula, & sæcula sæculorum, cum ad pœnas damnatorum referuntur, non nisi sæcula aliqua ad summum intelligenda sunt.

73. Cum vero ad DEUM vitamque beatam sanctorum referantur, sæcula quidem infinita & nunquam desitura significare debent, nam punire per infinita sæcula est contra naturam DEI, qui amor est infinitus, benefacere autem per infinita sæcula est divinæ naturæ maximè congruum.

74. Mundorum vero pluralitatem & aliorum post alios successionem evincere videntur quadraginta duæ peregrinationes filiorum Israël in eremo, quoad tandem ad gilgal pervenerunt, ubi ad mandatum Josuæ circumcidebantur. Gilgal autem rotam, sive revolutionem significat. Et quia omnia illa in typo & figurâ eis acciderunt, ut Paulus affirmavit, istæ 42. peregrinationes 6. mundos, h. e. 42000 annos significare videntur, quibus elapsis animæ & corporis glorificationem omnes tandem in cœlis obtinerent. Quod autem in quintâ suâ peregrinatione ad 12 fontes aquarum & 70 palmites adventum sit, quid aliud significare

possit, nisi quod in quinto millenio hujus mundi 12. Apostolos & 70. Discipulos ad eos audiendos missurus esset DEUS benignissimus, locus denique hujus peregrinationis, Elim dicebatur.

75. Quin & mundorum successionem clarè probat, quod legimus in scripturâ, de mille, imo de millenis generationibus, & tamen a principio ad finem hujus mundi 7000 annos complectente, 400. generationes numerari non possunt.

76. Post finem igitur hujus mundi alius mundus instruetur, in quo humani generis propagatio & multiplicatio procedet ut in mundo præsente, & ideo quoque antè hunc mundum alius olim extitit mundus, in quo humani generis propagatio per generationes successivas facta est. Numerus vero omnium mundorum antecedentium & consequentium non solum a nullis mortalibus sed a nullis creaturis assignabilis est.

77. Porro sicut ex conflagratione hujus mundi orietur mundus futurus, qui veluti ex cineribus mundi præsentis eruetur; ita ex cineribus mundi præteriti, post factam istius conflagrationem erutus, & quasi de novo editus, est hic mundus; Et sic quidem ordine continuo destructionem unius mundi sequitur generatio aut fabricatio alterius.

78. Quod vero ad mundi hujus creationem attinet, Gen. a Mose descriptam, ea certe

certe creatio non eſt ſtrictè intelligenda, ſed conditio aut fabricatio, ſive factio, quæ fit ex materiâ præexiſtente. Errant igitur multum, qui putant, mundum hunc factum ex nihilo, idque ſex dierum ſpatio. Non enim ex nihilo ſed ex materia mundi præcedentis a DEO opifice factus aut fabricatus eſt, quæ quidem hujus mundi fabricatio ſex dierum ſpatium aut tempus complectens ſenſu literali, ſatis commodè intelligi poteſt.

79. Qui in fine hujus mundi corporis glorificationem aſſequuntur in mundos ſubſequentes non deſcendunt, ut denuo in corpore carnali naſcantur, ſed per omnia ſæcula manent cum DEO & Chriſto in cœlis, in majorem continuo gloriam & dignitatem aſcendentes. Qui autem in hoc mundo non perficiuntur, nec corporis glorificationem aſſequuntur, ii demum in mundos ſubſequentes deſcendent, ut in corpore carnali renaſcantur ſuâ vice & ordine, donec tandem perficiantur & corporis glorificationem in cœlis obtineant.

80. Dignum eſt autem conſideratione noſtrâ, & diligenti exquiſitione, an non ex proportione ſanctæ civitatis ad terram univerſam collatæ, quota pars humani generis, quod hujus mundi eſt, ſalvanda ſit in hoc mundo, myſticè, & quaſi occultè nobis exhibeatur. Primo igitur videamus, quæ ſit menſura ſanctæ Civitatis in

ſolidis ipſius contentis. Johannes in Apocalypſi ait, civitatem iſtam eſſe æqualiter longam latam & profundam, longam denique eſſe ad ſtadia 12000. h. e. milliaria noſtra 1500. [octo enim ſtadia unum milliare complectuntur] ſolida ergo contenta ſeu civitatis ſunt milliaria 3375000000 ut in margine habetur. Quod vero ad terræ menſuram attinet, ponamus 61 milliaria pro unoquoque gradu, h. e. 1. milliare ſupra vulgarem computationem, circumferentia igitur terræ continebit milliaria 22960. diameter porrò terræ continebit 6789 milliaria cujus $\frac{1}{6}$ eſt 1164. ad ſuperficiale contentum inveniendum, multiplicetur diameter per circumferentiam, hoc eſt 21960 per 6987. ſumma totius eſt 253434520 milliaria. Denique ſupra dictum numerum multiplica per $\frac{1}{6}$ diametri videlicet per 1164 ſumma producti, ut in margine habetur eſt 178597781280. milliaria; ſolidum nimirum ipſius terræ contentum. Quod ſi per ſolidum contentum S. civitatis dividatur, quotiens dabit 52. cum fractione reſiduâ, ut in margine habetur. Igitur ſecundum hanc rationem quantitas S. Civitatis habet ſe ad terræ univerſæ

1500
1500
75
15
2250000
1500
1125
225
3375000000

quan-

quantitatem, quod ſi ponatur ut 1 ad 52 cum $\frac{1}{7}$, exinde oritur magnus annus 365000 annorum, in quo omnes animæ hujus terræ ſalvandæ ſunt, nam ſi in uno mundo ſalvatur $\frac{1}{52}$ pars humanis generis & $\frac{1}{7}$ ex $\frac{1}{52}$, ergo in 52 mundis ſive mundorum ſeptimanis h.e. 365000 annis ſalvabitur univerſum genus humanum.

81. Conſiderandum quoque eſt, annon tardus ille octavæ ſphæræ (ut vulgo appellatur) motus anno magno Jubilæo 50000 annorum reſpondeat, h. e. ſeptem mundis aut ſeptimanis. Ponamus ex. gr. octavam ſphæram motum ſuum obſolvere ſpacio 49000 annorum, unus gradus iſtius ſphæræ dabit

dabit circiter 138 annos, quod non multum a vulgari computatione Mathematicorum discrepabit.

82. Porro ut multa theologiæ & philosophiæ veræ mysteria clarè intelligantur, vera & exacta chronologia aut temporum hujus mundi ab ejus principio ad finem, computatio est instituenda.

83. Chronologia vera, a principio mundi ad ejus finem in scripturis est habenda & è scripturis eruenda; ad quid enim partes chronologiæ in scripturâ tam accurate, & tantâ scriptorum industriâ & diligentiâ hominibus exhibentur, nisi ut omnes chronologiæ partes quoque exhibeantur, quod si in aliqua una parte chronologiæ enumerandâ scriptura deficiat, dificit in tota, & si deficit in tota, vane & inutiliter partes aliquæ exhibentur, quod absurdum est, & ideo omnes chronologiæ partes in scriptura habentur, alioquin sane scriptura esset admodum imperfecta, scriptura autem perfecta est, perfectum exhibens testimonium, non tantum omnium doctrinarum veræ religionis sed omnium quoque partium veræ Chronologiæ, sine qua ipsa veræ religionis doctrina mutila est & imperfecta.

84. Vera autem mundi chronologica, quæ in scripturis habetur, annos continet a mundo condito ad Christi Salvatoris cruci-

cifixionem 3996½
a Chriſti crucifixo ad ejus finem
annos 3003½
h. e. a mundi initioad finem annos
integros

7000.

85. Quod autem Chriſtus Salvator crucifigendus eſſet & a morte in vitam revocandus in fine quarti millenii a conditomundo variæ rationes clare evincunt. 1. Analogia 6 Dierum fabricationis mundi cum 6milleniis ipſius mundi, mirandaenim analogia, primus dies cum primo millenio concordat, ſecundus cum ſecundo, tertius cum tertio, quartus cum quarto, quintus cum quinto, ſextus cum ſexto, & ſeptimus denique, qui Sabbati eſt, cum ſeptimo mundi millenio, quod Sabbatum quoque eſt mundi. Quod vero die quarto Sol & Luna cum aſtris in cœli firmamento conſtituebantur, pulchre hoc ſignificat Chriſtum, illum Solem juſtitiæ in quarto millenio venturum & in cœlos aſcenſurum, ut omnes homines illuminaret, per Lunam denique & aſtra, eccleſia cum Apoſtolis & Evangeliſtis clare demonſtratur. 2. Ingreſſus Pontificis in Sanctum Sanctorum ſemel in anno ad expiandum peccata totius populi n fine ſeptimi menſis, clare ſignificat Chriſtum ſui ſanguinis virtute ipſum cœlum ingrediendum in fini quarti millenii mundi, quod fine ſeptimi menſis anni apte reſpondet, diei nempe 22 ſeptimi menſis, qui ultimus

fuerat diei festi tabernaculorum, nam per regulam trium ut 7000 anni ad 3996 ita 365 dies ad dies 208, si autem dies 508 continent dies sex mensium, ab æquinoctio vernali ad diem 22 septimi mensis, hoc est, dies 187 & 21, qui simul conficiunt dies 208.3 Confirmatur hoc ipsum ex divisione temporis a mundo condito ad Christi resurrectionem, tradita libro 2. Esdræ cap. 34., facta est autem hæc divisio in duodecim partes, quarum partium decem cum dimidio partis elapsæ essent, cum Esdræ Prophetæ ista tradebat angelus, quam quoque divisionem temporis Christus fecit in duodecim horas a condito mundo & illud ipsum tempus quo esset in carne duodecimam horam appellavit, dicens Judæis, an non sunt duodecim horæ in die, operamini, quo ad diem habetis, clare innuens istud tempus fuisse duodecimam horam a condito mundo. Quot annos vero hora diei aut noctis contineat ex Psalmo isto mystico 90 plane habetur versu 4. mille anni in conspectu tuo ut dies hesternus & ut vigilia noctis; Vigilia autem noctis continet 3 horas, si ergo mille anni ut vigilia noctis, sive ut 3 horæ, una hora erit tertia pars mille annorum h. e. anni 333 $\frac{1}{3}$ Christus autem a morte resurrexit in fine horæ duodecimæ quod 3996 annis a condito mundo respondet, nam 333 per 12 multiplicatus dat numerum 3996. Et certe nulla alia divisio convenire potest tempori Esdræ, cum

illi

illi angelus ea annunciaret, hæc autem divisio optime respondet, decem enim partes cum dimidio annos faciunt 3496, cum ista angelus annunciaret hoc est 500 annos ante mortem Christi & 56 annos post captivitatem. Et ideo locus iste Esdræ lib. 2. Cap. 7. v. 28 29 de 400 annis ab eo tempore ad mortem Christi legendus est 500. Nam procul dubio 400 pro 500 vitio & ignorantia scriptorum descriptus est. 4. Denique hoc ipsum quam pulcherrime demonstratur ex analogia ætatis Abrahami & mundi. Abrahamus enim, qui Pater omnium hominum a Paulo appellatur epist. ad Rom. mystice universum mundum repræsentat. Et ideo quod Abrahamus habebat Isaacum natum in senectute sua, significat Christum salvatorem, qui semen Abrahami assumsit, venturum in mundum & crucifigendum atque a mortuis resurgendum in senectute mundi; Et ut analogia hæc clare demonstretur, ponantur numeri debito suo ordine hoc modo, ut 175 tota ætas Abrahami ad 100 quando Isacus esset natus ita 7000 ad 4000, qui numeri consistunt in vera & accurata analogia, ut cuivis patebit, si modo per regulam trium quis eandem examinabit. Nativitas autem Christi mystice sub Isaco figurata resurrectioni Christi a mortuis magis respondet, quam dum ex Virgine Maria in carne nasceretur, Paulus enim resurrectionem Christi applicat & accommodat Verbis Psalmi 2. Filius meus es

hodie ego te genui Act. 13. 33. & Christus appellatur ab Apostolo primogenitus a mortuis respectu resurrectionis ejus a mortuis.

86. Prædicta quoque analogia clare nobis demonstrat numerum annorum ab exordio captivitatis ad resurrectionem Christi, nativitas enim Ismaëlis respondet exordio captivitatis, cum vero Isacus nasceretur, decimum quartum annum complevisset Ismaël, natus anno Abrahami 86 dicamus ergo per regulam trium, ut 175 ad 86, ita 7000 ad numerum quartum proportionalem 3440, & tum quidem Ismaël mystice nascebatur ab exordio nimirum captivitatis & hic Ismaël mystice significat ipsos Judæos, qui Christum irridebant & persecuti sunt, ut Ismaël olim persecutus est Isacum; Ismaël autem persequebatur Isacum cum esset 14. annorum & ideo ejicitur ex domo Abrahami cum matre sua, vetere lege, quod perfectissime respondet tempori, quo Judæi Christum crucifixerunt, eumque in cruce pendentem irriserunt, propter quod ejecti simul ex domo DEI cum matre sua nempe lege aut Veteri Testamento, hoc est 14 annis elapsis, qui sunt 560 anni ab exordio captivitatis, ut enim 100 anni analogice significant 4000 annos, ita 14 anni analogice significant annos 560, qui sunt 70. anni captivitatis & 70 hebdomades Danielis anni nempe 490. Et hic quidem; 60 anni conficiunt 14 istas gene-

rationes a captivitate Babylonica ad resurrectionem Christi; nam 14 istæ generationes respondent 14 annis Ismaëlis cum heredem veram irrisissit & tamen in Mathæi genealogia de Christo a captivitate ad Christi nativitatem in carne sunt tantum 13 generationes, a Christi autem in carne nativitate ad resurrectionem ejus a mortuis decima quarta generatio est supputanda. Consequenter ad hanc analogiam tempus traditionis legis ad tempus captivitatis ætatem Hagaræ matris Ismaëlis designat. Et quia lex tradebatur populo Israëlitico circa 900 annos ante captivitatem Babylonicam, totum illud tempus 900 annorum significat ætatem Hagaræ, cum Ismaël nasceretur quæ secundum prædictam analogiam est annorum $22\frac{1}{2}$. Nam ut 14 anni respondent annis 560. sic anni $22\frac{1}{2}$ respondent annis 900. Hagar ergo puella annorum $22\frac{1}{2}$ enixa est Ismaëlem, hoc est, lex annorum 900 enixa est Judæos Ismaëliticos, qui propter Ismaëliticam suam naturam in captivitatem tradebantur, qui deinde post annos circiter 560 Christum ad mortem usque crucis sunt persecuti. Quia vero in medio ultimæ septimanæ Christus mortem est passus, ideo $3\frac{1}{2}$ anni ex numero 560 deducendi sunt, sic relinquuntur anni $556\frac{1}{2}$ verum nimirum tempus ab exordio captivitatis ad mortem & resurrectionem Christi, a mundi autem exordio anni $3996\frac{1}{2}$.

 87. Se-

87. Sequuntur nunc ut particularis uniuscujusque periodi chronologia e Scripturis exhibeatur. Periodos autem à condito Adamo ad mortem & resurrectionem Christi invenimus esse sex, nimirum.

Ab Adamo ad diluvium sunt anni. 1656
Deinde ad Nativitatem Abrahami. 381
Deinde ad exitum Israëlis ex Ægypto. 505
Deinde ad fundamentum Templi. 480
Deinde ad Captivitatem Babylonicam. 418
Deinde ad mortem & resurrectionem Christi. 556½

3996½

88. Veritas autem harum periodorum per partes est demonstranda.

Prima periodus est annorum 1656. ex Gen. 5 quæ computatio apud Chronologos non disputatur. 130
105
90
70
65
162
65
187
182
600

1656

Secunda periodus annorum 381. probatur quod Gen. 11

Sem genuit Arphaxad post diluv. an.	2
Arphaxad genuit Cainan.	35
Cainan genuit Sala.	29
Sala Heberum.	30
Heber Peleg.	34
Peleg Reu.	30
Reu Sarug.	32
Sarug Nahor.	30
Nahor Terah.	29
Terah Abrahamum.	130
	381

NOTA. Ex textu Hebraico (incuriâ scriptorum) excidit Cainan, qui tamen habetur apud Lucam Cap. 3 & etiam apud LXX. Interpretes, ratione autem recta colligimus ejus numerum esse 29, ut nempe tota Periodus a condito Adamo ad mortem Christi sit annorum 3996½. quod supra probatum est. Nota denique quod ratione recta affirmamus Abrahamum natum fuisse anno Teræ 130, ut patet ex Gen. 12. Cum enim Abrahamus esset annorum 75. Terah e vita decessit annorum 205.

Quod autem tertia periodus sit annorum 505. probatur. Nam cum Abrahamus promissionem accepit fuit annorum. 75
Post hoc lex data est annos- 430

505

Gen. 3. 17. Eodem autem anno ex Ægypto egressi sunt Israëlitæ.

Quarta Periodus 480 annorum habetur expresse 1. Reg. 6. v. 1.

Quinta Periodus habetur sic,

	Annos.
1. Reg. 11. Salomon regnavit post fundatum templum	36
1. Reg. 14. Rehoboam regnavit,	17
1. Reg. 15. Abijam regnavit.	3
1. Reg. 15. Asa regnavit	41
1. Reg. 22. Josaphat regnavit.	25
2. Reg. 8. Jehoram regnavit.	8
2. Reg. 8, Achazia regnavit.	1
2. Reg. 11. Athalia regnavit.	6
2. Reg. 12. Joas regnavit.	40
2. Reg. 14. Amazias regnavit.	29
2. Reg. 15. Azarias regnavit.	52
2. Reg. 15. Joathan regnavit.	16
2. Reg. 16. Achaz regnavit.	16
2. Reg. 18. Ezechias regnavit.	29
2. Reg. 21. Manasses regnavit.	55
2. Reg. 21. Amon regnavit.	2
2. Reg. 22. Josias regnavit.	31
2. Reg. 23. Joathas regnavit.	00
2. Reg. 23. Joachim regnavit.	11
2. Reg. 24. Zehojathin regnavit 3. menses.	00
	418

NOTA autem Captivitatem 70. annorum a Zehojachin annumerandam esse, non autem a Zedekia, ut patet ex Epistola Jeremiæ (Cap. 29. 10.) Quod si secundum alios Captivitas 70 annorum supputanda sit, â ter-

tertio anno regni Joachim (secundum Danielem 1, 1.) Periodus quinta â templo fundato ad captivitatem Babylonicam, continet tantum annos 410, & ideo ut numerus annorum â condito mundo ad Captivitatem sit 3440, dandi sunt anni τῷ Cainam in secunda periodo, 37. Sic autem eodem res redit, sive â tertio anno regni Joachim captivitas supputetur, sive post undecimum.

NOTA denique Periodum hanc probari veram esse ex Capite quarto Ezekielis, dies enim illi 390 significant 390 annos a vitulis aureis erectis per Jeroboam ad destructionem Hierosolymæ, deducantur igitur 36 anni regni Salomonis & 2. Regni Rehoboami a.

	418
	38
Relinquentur.	80
Cui addantur 10 anni regni Zedekiæ ad destructionem Hierosolymæ,	10
conficitur numerus annorum.	390

Sexta demum Periodus annorum 556 & ½ Probatur. Duravit enim Captivitas annos 70

A fine autem 70 annorum Danielis videlicet 70 hebdomad. (3 annis & ½ deductis) anni sunt computandi, cum edictum a Cyro egressum est de templo restaurando.	486½
	556½

NOTA

NOTA eos a Veritate quam plurimum aberrare, qui Danielis 70 Hebdomadas non a Cyri Edicto ſupputandas eſſe contendunt & longe poſt Cyri tempora hebdomadum iſtarum exordium ponunt, ſcripturæ veritatem relinquentes & hiſtoricis Ethnicis fidem adhibentes, & ſic quidem ſcripturam ſacram tanquam imperfectam & mutilam relinquunt, quod veris Chriſtianis & ſcripturæ ſtudioſis faciendum non eſt, fac autem ut ſecundum illos, qui ethnicorum hiſtoricam falſitatem ſequuntur, Danielis ſeptimanæ longe poſt Cyrum, hoc eſt, ut illi volunt, 74. annos poſt finitam captivitatem, anno nimirum ſecundo Darii longimani computentur, hac ratione a fine captivitatis Babylonicæ ad mortem Chriſti erunt anni 560, hoc autem mirum in modum contradicit Eſdræ, de partibus ſæculi decem & $\frac{1}{2}$ elapſis a mundo condito ad mortem & reſurrectionem Chriſti. Suppoſito enim quod 560 eſſet $\frac{1}{2\,1}$ & $\frac{1}{2}$ ex $\frac{1}{1\,2}$ annorum ab Adamo ad mortem Chriſti omnes duodecim partes ſimul ſumptæ conficerent annos 4480, quod longe excedit annos ab eis Ethnicam hiſtoriam ſequentibus confictos.

89. Porro ex Chronologia prædicta anni a condito mundo ad Captivitatem Babylonicam ſunt 3440. ut in margine exhibetur, quibus ſi addantur 2300, illi anni ab angelo Danieli traditi Dan. 8. 14. per dies

Prophetice designati, conficiunt numerum annorum 5740, a condito mundo, ad quem annum, cum adventum sit, Sanctuarium purgabitur, hoc est, incipiet felix illud Sabbati millenium, addito deinde millenio prædicto & 260 annis porro additis, conficitur numerus 7000 annorum, qui constituunt integram totius hujus mundi ætatem a condito Adamo ad finem. Anni autem 260 prædicti sunt parvum illud tempus a Johanne in Apocalypsi memoratum cap. 20 quod exordium suum capit post transactum millenium, et ideo ipsum millenium Sabbaticum incipit 260 annos, priusquam sextum mundi millenium finiatur.

1656
381
505
480
418
3440
2300
5740
1000
260
7000

90. Et sic quidem totum illud felicitatis sabbaticæ sæculum annos continet 1260 totidem nempe quot Regnum Antichristianum & Babylonicum continebat, ut dies Christi in regno suo gloriosissimo super terram æqualis sit regno Antichristi in turpissimo suo regno tenebrarum. Utraque autem periodus continet tres annos cum dimidio, hoc est septem annos simul sumptos, qui respondent 7 ultimis annis Jacob cum serviret Labano.

91. Et quidem totum illud tempus in quo Ja-

Jacobus Labano ſerviret annos circa vigin ti conficiens, pulchre dividit totam mun di ætatem admirabili quadam analogia in ſuas diſtinctas periodos, ut enim anni 360 conficiunt annum myſticum & prophetice ſumptum, ita anni 7000 conficiunt annos 19, menſes 5, & dies decem, h.e. fere viginti annos. Analogia vero talis eſt. Primi ſeptem anni ſervitii Jacobi extendunt ſe a condito mundo ad exitum Iſraëlis ex Ægypto, tempus vero matrimonii Jacobi cum Leah, ſignificat tempus, quo Dominus populum Iſraëliticum lege externa ſibi tanquam uxorem adſcribit, filii 4 autem uxoris Leæ, Ruben, Simeon, Levi, Juda, a Lege ſe extendunt ad Chriſtum in carne adventum, qui ex Juda oriundus eſſet, filii denique concubinarum gentiles ſignificant, qui in Chriſtum eſſent credituri a temporibus Apoſtolorum usque ad apoſtaſeos fere Babylonicæ finem. Rachaëlis autem ſterilitas ſignificat Judaicam Eccleſiam, quæ per longum illud tempus quaſi ſterilis eſſet in fide Chriſtiana, quæ tamen poſtea eſſet Joſephum paritura, cujus certe tempus ad ſabbaticum millenium pertingit; Benjamini vero nativitas omnium poſtrema Apoſtolum Paulum, qui e tribu eſſet Benjamin cum aliis ſanctis, qui in mundum eſſent venturi omnium poſtremi aperte deſignat, circa annum nimirum mundi 6000, & qui manſuri ſunt in mundo ad Chriſti usque adventum

tum e cœlis. Et denique mors Rachaëlis & exitus Jacobi cum filiis suis ex Padan aran in propriam patriam finem mundi significat & ascensum sanctorum e terra cum corpore glorificato in patriam cœlestem. Confirmatur hoc totum ex Gen. 49. a vers. 1, ad 28.

92. Modicum vero illud tempus prædictum 260 annorum, quo millenium Sabbaticum incepit intra sextum mundi millenium nempe ad annum mundi 5740 præfigurabatur in lege per sabbatum, quod incipiebat in Vespera sexti diei, quare illi 260. anni sunt quasi vespera sexti diei hóc est sexti millenii mundani.

93. Porro beatissimnm illud & verè aureum millenii sabbatici speculum quando incepturum esset, clare ex verbis Prophetæ Oseæ ostenditur Cap. 6. v. 2. Post duos dies vivificabit nos & in tertio die excitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Quid autem per duos dies hic significat nisi annos bis mille ut habetur in Psalmo 90. & 2. Pet. 3. 8? Et ideo per diem tertium millenium illud mundi sabbaticum aperte designat, in quo ille cum omnibus sanctis excitandi essent, integrum millenium victuri, nec amplius morituri sed in cœlestem patriam transacto millenio ascensuri. Vixerat autem Oseas in quarto millenio & ideo cum dixisset post 2. dies &c. respexit ad septimum illud mundi millenium. Compara hanc Prophetiam cum illa Danielis de annis 2300, & utramque ad millenium sabbaticum se exten-

tendere, clare percipies.

94. Quia vero dies illi 1335 (Dan. 12. 12.) continent 1335 annos totum nempe apoſtaſeωs tempus poſt apoſtolos ad millenii exordium, ideo ex annis 2300, deducantur anni 1335, numerus 965 continet tempus ab exordio captivitatis Babylonicæ ad exordium apoſtaſeωs poſt Apoſtolos, & ideo demantur anni 557 a numero 775. relinquitur tempus a reſurrectione Chriſti ad exordium apoſtaſeωs 409. annorum. Cui addantur anni $33\frac{1}{2}$ a nativitate Chriſti ad reſurrectionem, conficitur numerus $442\frac{1}{2}$ annorum a nativitate Chriſti ad exordium apoſtaſeωs.

2300
1335
965
556
409
$33\frac{1}{2}$
$442\frac{1}{2}$

95. Huic numero 442 addantur anni 1260 in Apocalypſi memorati conficitur numerus 1702 annorum, a nativitate Chriſti ad finem primæ periodi regni antichriſtiani.

442
1260
1702

96. Secunda periodus apud Danielem annorum 1290 ſe extendit 30 annos amplius, h. e. a nativitate Chriſti ad annum 1732.

442
1290
1732

97. Tertia periodus regni antichriſtiani 45 annos amplius ſe extendit, quæ eſt annorum 1335, h. e. ad annum a nativ. Chriſti 1777.

442
1335
1777

98. Annus ergo 1777 a nativita te Chri-

ſt

ſti finit regnum antichriſtianum & quatuor monarchias omniaque regna mundana & ab eo anno incipit Regnum Chriſti & ſanctorum in terra univerſa.

99. Incertum eſt autem an præſens hæc epocha a nativitate Chriſti in carne communiter apud Chriſtianos recepta, ſit vera necne. Uſherus enim putat Vulgarem epocham a vera deficere ſpatium circiter quatuor annorum.

100. Millenium hoc mundi feliciſſimum magna gentilium converſio per Evangelii prædicationem in puritate & efficacia Veritatis eſt anteceſſura, quam deinde ſecutura eſt Judæorum ad fidem Chriſtianam converſio ab anno nimirum 1702 ad annum 1777, anni vero 30 ab anno 1702 ad annum 1732 gentilium converſionem reſpiciunt, anni deinde 45 ab anno 1742 ad annum 1777 Judæorum converſionem, reſtaurationem & in patriam reditum ſpecialiter reſpiciunt.

101. Ab anno vero a nativitate Chriſti, 652 ad annum Chriſti ´02 præparantur & colliguntur primitiæ illæ DEO & Agno 144000 ſanctorum. Sicut enim feſtum primitiarum ſub lege 50 dies antegrediebatur feſtum autumnale, ita nunc 50 annos feſtum primitiarum antegreditur feſtum autumnale.

1. Tempus vero millenii futuri Abrahamo præfiguratum fuiſſe videtur in Sacrificiis

ciis DEO per Abrahamum offerri jussis Gen. 15 9, jubebat DEUS Abrahamum sumere juvencam triennem, capram triennem & arietem triennem cum turture & juniore columba, fac autem ut turtur sit unius anni columba viginti dierum, dies autem omnium istorum annorum significent annos secundum propheticum stylum, omnes simul additi conficiunt annos 3620 fac autem, ut Abrahamus istam visionem haberet, cum esset 83 annorum qui erat annus mundi 2120, secundum chronologiam prædictam, numerus 3620 additus numero 2120, conficit, 5740. annum mundi quo millenium est incepturum.

2120
3620
5740

2. In millenio futuro excitabuntur omnes sancti, qui unquam vixerunt a primordio mundi ut vivant sanctissimam & beatissimam vitam super terram ad spatium mille annorum. Dan. 12. Hos. 6. Revel. 20.

3. Hæc sanctorum omnium resuscitatio in vitam est prima resurrectio ab Apostolo Johanne expresse sic appellata. Apoc. 205.

4. In prima hac resurrectione resuscitantur sancti in vitam in corpore carnali & terrestri non quale nunc habemus, sed quale Adamus habuit in Paradiso, antequam de fructu vetito arboris scientiæ boni & mali comedisset, quale etiam corpus Christus

habuit

habuit in quo mortem pro omnibus hominibus eſt paſſus.

5. Duplex igitur eſt Reſurrectio ſanctorum, prima eſt in corpore carnali & terreſtri, in quo omnes ſunt victuri ad ſpatium mille annorum. Secunda eſt, in qua corpus illud ipſum carnale & terreſtre poſt tranſactos mille annos non moritur, ſed mutatur in momento ſive in ictu oculi in corpus ſpirituale & cœleſte, in quo aſcendent in cœlum, quemadmodum Chriſtus aſcendit in Cœlum poſt reſurrectionem ſuam a mortuis.

6. De qua duplici Sanctorum reſurrectione Apoſtolus Paulus clare loquitur 1 Epiſt. ad Corinth. Cap. 15. Non prius, quod ſpirituale ſed quod animale, & deinde quod ſpirituale, & ſicut portavimus imaginem terreſtris, portabimus quoque imaginem cœleſtis. Non autem in corpore quo nunc vivimus portamus imaginem terreſtris, nempe Adami terreſtris, quaiis fuit ante lapſum, ſed in prima reſurrectione portabimus imaginem terreſtris in millenio futuro, viventes talem beatam & ſanctam vitam, qualem vixiſſet Adamus, ſi non peccaſſet, deinde transſacto millenio non moriemur, ſed immutabimur, & mortale induet immortalitatem, & corruptibile incorruptionem.

7. Corpus autem primæ reſurrectionis mortale & corruptibile aliquo modo dici-

tur,

tur, non quod unquam morietur aut corrumpetur, ſed quia reſpectu corporis ſpiritualis fit quaſi mortale & corruptibile, quod etiam externa ſaltem vi (ſi DEUS velit) occidi poſſit & mori quemadmodum & Corpus Chriſti mortem paſſum eſt, quod ſua tamen natura mori nequibat.

8. Quod vero ſancti exſuſcitentur in vitam in corpore carnali vel animali, patet quoque ex eo, quod Paulus de ſe & aliis loquens dicit non omnes dormiemus, ſed omnes inmutabimur, & mortale induet immortalitatem. Paulus igitur expectabat fore ut in millenio futuro excitandus eſſet in vitam in corpore carnali, quod non moriturum eſſet ſed immutandum.

9. Patet quoque hoc ipſum, quod tranſacto millenio Gog & Magog congregaturæ ſint adverſus Sanctos, ut eos occidant, quod ſane nunquam attentarent facere, ſi non in corpore carnali vixiſſent,

10. Confirmatur hoc ipſum amplius, quod ſancti uſque ad 260 annos, poſt millenium exorſum, matrimonium contrahent, & liberos procreabunt, matrimonii enim ſtatus & liberorum procreatio non eſt infra dignitatem millenii futuri. Adamus enim ante lapſum in Paradiſico ſuo ſtatu uxorem habuit, & ſi non peccaſſet, uxorem cognoviſſet & liberos procreaviſſet.

11. Quod vero ad tempus aliquod ſancti

in millenio futuro matrimonium contrahent & procreabunt filios & filias, patet ex Jeſchaia capite 65. ubi degentibus in novo cœlo & in nova terra promittitur, quod domos extruent & inhabitabunt, vineas plantabunt & comedent de fructu earum, non in vanum laborabunt, neque pavent in timore, ſunt enim ſemen a Domino beatum, & germina quoque eorum cum ipſis. Imo quoque in eodem capite de peccatoribus in millenio viventibus affirmatur, quod ad centum annos victuri ſint, nec infans aliquis morietur, dies autem Sanctorum erunt, ut dies arboris vitæ, (ſic enim olim ille locus apud Patres legebatur) hoc eſt, victuri ſunt mille annos & deinde non ſunt morituri, ſed aſcenſuri in cœlum in corpore immutato, quod & Adamo contigiſſet, ſi non peccaſſet.

12. Novum autem illud cœlum & nova terra, quæ creabuntur in millenio futuro, nova tantum erunt ratione optimarum qualitatum, non vero ratione ſubſtantiæ.

13. Benedictio quoque Joſephi a patre Jacobo, quæ ſpectat ad millenium futurum, clare demonſtrat matrimonium contrahendum, liberoſque procreandos fore & alendos Gen. 49. 25. 26. Is enim inter alias benedictiones, benedictionibus uteri & mammarum, quæ uxores & matres reſpiciunt, benedicebatur, & hujus quoque benedi-

ctiones pertingere debebunt ad extremos terminos montium externorum, h. e. ad secundam resurrectionem, cum corpus carnale immutabitur in spirituale, & sic immutatum ascendet in montes externos, h. e. in cœlos altissimos.

14. Verba Christi igitur, quod in resurrectione mortuorum non contrahent matrimonium, quia sunt angelis æquales facti, de secunda resurrectione sunt intelligenda, non autem de prima, quia certe in prima resurrectione æquales angelis non fient, sed qualis Adamus fuit in Paradiso ante lapsum.

15. Et huc quidem referri possunt verba illa libri Sapientiæ 3 13. Beata est sterilis immaculata, quæ certum peccaminosum non cognovit, in visitatione animarum fructum habebit.

16. Omnes autem filii & filiæ Sanctorum in millenio futuro sunt animæ Sanctorum, qui unquam a mundi primordio vixerunt in corpore carnali, denuo excitati in vitam in corpore carnali, & ex patribus & matribus nati in mundum. Nulli enim millenii futuri premio & beatitudine gaudebunt, nisi qui prius a mundi primordio sanctam vitam in terra vixerunt. Quin & Christus excitationem hanc Sanctorum in vitam appellavit regenerationem.

17. Et ideo omnes Sancti gaudentes millenio nascentur denuo in mundum, Patres & matres

matres secundum carnem habentes in corpore carnali.

18. Neque hoc mirum aut incredibile alicui videbitur, postquam sit clare e Scripturis demonstratum vixisse nos omnes aliquoties in corpore carnali etiam a multis annis & annorum sæculis.

19. Veritate hac semel demonstrata & concessa, omnia fere mysteria & ardua intellectu de futuro millenio facillime intelliguntur. Ignorantia enim renascentiæ & reditus earundem animarum in Vitam in corpore carnali plurimum obscuravit mysterium futuri millenii, aliaque fere omnia totius Religionis Christianæ mysteria, quæ miranda profecto facilitate, evidentia & veritatis dulcedine[prædicta illa renascentia & regeneratione carnali demonstrata] se produnt & ostendunt.

20. Prius autèm argumentis quibusdam è Scripturâ petitis demonstrabitur, easdem animas post mortem corporis carnalis denuò excitatas fuisse in Vitam, & natas ex parentibus fuisse in corpore carnis.

21. Probatur hoc primò ex verbis expressis ipsius Christi, qui Johannem Baptistam vocavit Eliam, imo ipsum Eliam fuisse affirmavit Matth. 11. Marc. 9. 12. Eundem quoque adhuc venturum pronunciavit. Quod vero Johannes ipse negavit se fuisse Eliam, intelligendum est de mysterio 1045 annorum, quod latet in nomine Eliah, quod

etiam significat DEUM fortem, illa enim dispensatio aut ministratio Johannis nomini Eliæ non respondebat, sed nomini Johannis, quod gratiam significat. Cum vero denuo nascetur in mundum dispensatio nomini Eliæ quam optime conveniet.

22. Probatur 3. quia Paulus ad Rom. 11 de Judæis incredulis disserens affirmat eosdem credituros in Christum post multa sæcula & inserendos fore denuo in propriam radicem. Argumenti autem vis concludit de eisdem animabus, quæ incredulæ erant in tempore Apostolorum, quæ post aliqua sæcula crediture essent in Christum, postquam plenitudo gentium ad fidem Christi esset conversa, quam Judæorum conversionem adhuc in terra expectamus, etiam eorum, qui increduli essent in ætate Apostolorum. Omnes enim Judæi, qui rami sunt naturales salvabuntur, eorumque corda aperientur, idque ante millenii exordium.

23. Probatur 4. Quia ipse Christus affirmavit eosdem Judæos, qui simul cum eo vivebant in carne, interfecisse Zachariam filium Baruch &c. Fuerat autem hoc facinus perpetratum in diebus regis Joas plusquam octingentos annos, antequam Christus in carne vixisset. Vide Matth. 23. 35. & confer cum 2. Chron. 24. 22. Si quis autem facinus illud non eorum fuisse affirmabit,

 sed

ſed patrum, illis autem patrum facinus imputari, quia eodem ſpiritu nequitiæ ducebantur, Reſpondeo, hoc non poſſe vim argumenti deſtruere, quia ſecundum ordinationem juſtam DEI, patrum ſcelera filiis non imputantur, niſi ad tertiam aut quartam generationem, etiam quando filii eodem ſpiritu ducti patrum ſequuntur veſtigia. Quia vero multæ generationes intervenerunt inter iſtud facinus & tempus Chriſti in carne, & multo plures inter occiſionem Abelis & iſtud tempus, ideo illi iidem Judæi aliquoties vixerant in mundo, ante id tempus, imo Cain, qui Abelen interfecit, tum vivebat. Quod vero Patres iſtorum Judæorum Prophetas quoque occidiſſent, verum eſt, omnes enim Prophetæ, qui occidebantur, aut a Patribus iſtorum Judæorum, non niſi intervallo quatuor generationum, aut ab iſtis ipſis Judæis ſunt interfecti.

24. Probatur 4. Quia ipſe Chriſtus affirmat eoſdem Judæos, ad quos alloquebatur in carne, interfeciſſe Prophetas. O Hieruſalem, inquit, Hieruſalem, qui interficis Prophetas & lapidas ad te miſſos, quoties volui te congregaſſe, ſed nolebas.

25. Probatur 5. Quia Paulus. 1 Theſſ. 2 15. affirmat, eosdem Judæos & Chriſtum & Prophetas interfeciſſe.

26. Probatur 6. Quia Chriſtus in parabola affirmat, eoſdem agricolas ſervos Do-

mini male tractasse & tandem ipsum filium Domini interfecisse.

27. Probatur 7. ex parabola Christi de operariis missis in agrum & mercede conductis, quibusdam mane, aliis hora tertia, aliis sexta, aliis nona, aliis undecima vocatis, qui autem hora undecima vocati essent, omnes horas diei stabant in foro otiosi; per operarios autem hora undecima vocatos, gentiles sunt intelligendi, qui vocabantur in Ecclesiam Christi per ministerium Apostolorum post Christi resurrectionem; Per istos autem mane & aliis horis vocatos Judæi sunt intelligendi, mane illud est primordium mundi, quidam ergo Judæi, qui vivebant in tempore Apostolorum, vivebant a mundi primordio & 12 horas operati sunt in agro, alii 9. alii 6. alii tres sunt operati &c. Vespere facto omnes denarium accipiunt, gentiles facti sunt æquales cum Judæis, Judæi murmurant, sed injuste. Gentiles enim credentes in Christum & laborantes in agro Domini tantum fecerunt, & quidam plus in ultimâ illâ horâ, quantum Judæi in toto die, parum enim faciebant ante Christum adventum & passum in carne, & multi eorum non laborabant recto corde, ideo de eis dixit Christus, multi sunt vocati, sed pauci electi.

28. Probatur 8. ex verbis Petri 1. Epist. cap. 3. v. 18. 19. eædem enim animæ, sive iidem homines, qui ante diluvium vixissent

&

& in diluvio periissent, vivebant quoque in corpore carnali supe terram, quando Christus passus est mortem in carne, mortificatus autem in carne, vivificatus est in Spiritu & pleniorem gratiæ vitam effudit super homines, postquam e mortuis resurrexit & tum quidem, ministerio sui Spiritus vitæ & gratiæ, prædicavit illis animabus, qui à primordio mundi detinebantur in catenis tenebrarum sub Satanæ potestate, quæ animæ tamen in vitam reducebantur in corpore carnali, ut Euangelii prædicationem audirent. Euangelium enim prædicatur animabus non extra carnem, sed in carne super terram viventibus. Joh. 1, 9. Joh. 3. 11. 17. 59. Luc. 2. 14.

29. Probatur 9. Quia idem Petrus hac eadem 1 Epistolâ cap. 4. vers. 6. affirmat Euangelium prædicatum fuisse mortuis, ut judicentur, qua homines in carne (& ideo illi olim mortui denuo vivebant in carne) ut vivant secundum DEUM in spiritu.

30. Probatur 10. Quia Christus prædicavit horam venturam, & tum venisse, qua mortui audirent vocem Filii DEI, & qui audirent viverent, mortuos autem intelligit non tantum spiritualiter, sed naturaliter quoque mortuos, qui denuo victuri essent in diebus Christi, ut Euangelium audirent, audiendo crederent, & credendo vitam æternam haberent.

31. Probatur 11. Quia Rom. 3. 25. Paulus affirmavit, redemptionem factam esse in Christo Jesu ad remissionem peccatorum præteritorum in longanimitate DEI, peccata autem illa prædicta sunt omnia peccata commissa à cunctis hominibus ab ipso mundi primordio.

32. Probatur 12. Quia Christus dicitur reconciliasse nos DEO morte sua, etiam cum inimici essemus, & peccata nostra in corpore suo in ligno portasse, quod fieri non potuit, nisi ante mortem Christi aliquando vixissemus.

33. Probatur 13. Quia Christus pro omnibus hominibus mortuus est, tam mortuis a mundi primordiis, quam tum viventibus, & ideo efficacia Sacrificii sui se extendit ad omnes, qui unquam a primordio mundi vixissent, ut resipiscere possint, & remissionem peccatorum obtineant, si modo credere velint in Christum & mandatis ejus in futurum obedire. Quam absurdum est enim Christum mortem sustinuisse pro omnibus a primordio defunctis, & tamen plerosque illos nihil de tantâ gratia audire, nec de fructibus istius gratiæ unquam post mortem Christi degustare.

34. Probatur 14. Quia Christus affirmavit, omnia peccata remittenda fore, excepto peccato in Spiritum Sanctum, nulla autem peccata facta sunt in Spiritum

Sanctum ante mortem Christi.

35. Probatur 15. Quia Paulus dixit, temporibus ignorantiæ DEUM connivisse hominibus, tum autem vocare omnes, ut resipiscant, ergo & ii vocantur, ut resipiscant, quibus antea connivit à primordio mundi.

36. Probatur 16. Quia alioquin longanimitas & tolerantia DEI non possit explicari. Vasa enim iræ tulit DEUS cum multâ longanimitate, multa autem longanimitas DEI dat multum temporis ad resipiscentiam, quia in conspectu Domini mille anni sunt nisi ut unus dies.

37. Probatur 17. Quia Petrus 2. Epist. cap. 3. dixit DEUM ideo non venire, ut exequatur tremenda sua judicia in conflagratione mundi, quia longanimis est, & velit omnes ad pœnitentiam adduci, & ideo post mortem Christi duo millia fere annorum patitur homines longanimitas DEI, ante millenii futuri exordium, & tria millia annorum, ante ultimum judicium & mundi conflagrationem, quæ 3 millia annorum sunt nisi apud Dominum ut tres dies. Ad quid autem DEUS tantum temporis largitur hominibus? nempe ut qui non a primordio mundi mille annos habebant, in corpore carnali haberent eos ante mundi finem ut tandem resipiscant; Et si non resipiscant, justè punirentur ob tantam gratiam & longanimitatem neglectam.

38. Probatur 18. Quia omnes homines habent diem visitationis à Domino concessam in corpore carnis, ut resipiscant & meliorem vitam agant, dies autem illa visitationis est mille annorum testante Petro 2. Petr. 3, 8. confer huc etiam Hebr. 4, 7.

39. Probatur 19. Quia Euangelium, affirmante Christo, toti mundo, hoc est, omnibus hominibus est prædicandum, aut igitur omnes homines audiverunt Euangelium, ex quo Christus mortem est passus, aut tandem audient, ante finem mundi, & ideo omnes, qui vivebant à primordio mundi (si modo non credebant in Christum venturum, ministerio Prophetarum) denuo victuri essent, ut audirent de Christo, & in Christum crederent ministerio Apostolorum aliorumque Christi ministrorum.

40. Probatur 20. Quia promissio Salutis æternæ respicit fidem hominum, quâ credunt in Christum, quod DEUS eum a mortuis excitavit, & ideo omnes aut habuerunt aut antefinem mundi habebunt occasionem audiendi de Christo â mortuis exsuscitato quam habere non possunt nisi rursus in mundum renascantur.

41. Probatur 21. Quia Dominus per Mosen promissit istis ipsis Judæis & Israëlitis in tempore Mosis viventibus, fore ut eis excitaret Prophetam, similem Mosi, quem

in omnibus essent audituri. Et ideo isti ipsi Judæi & Israëlitæ denuo essent victuri in corpore carnis sub diebus Messiæ. Ideo enim & omnibus Judæis & toti populo Israëlitico & patribus & filiis Messias esset excitandus, ut omnes Patres & filii, qui præsertim in incredulitate fuissent mortui, occasionem haberent credendi in Christum, ut remissionem peccatorum præteritorum obtinerent. Non enim propter transgressionem legis puniendi erant igne gehennæ in fine mundi, sed propter transgressionem Euangelii, Vid. Heb. 10, 2?. 29.


42. Probatur 22. Quia promissiones illæ de abundantiâ divinæ gratiæ & ubertate spiritus, quam promiserat Deus per Prophetas, respiciebant illos ipsos Judæos & Israëlitas, qui vivebant tempore Prophetarum, quæ tamen non essent implendæ nisi in diebus novissimis sub Euangelii prædicatione, post adventum Messiæ in carne; promissiones enim sunt Judæis & filiis eorum omnibusque de longinquo, etiam qui vixerunt a primordio mundi Act. 2, 39. Quomodo enim Judæi conciperent gaudium & spem in istis promissionibus, nisi denuo essent victuri in eis temporibus, quando essent implendæ sub Christo.


43. Probatur 23, ex Psal. 90. v. 3. 4. Convertis hominem in interitum, dicisque iterum, redite filii Adam, nam mille anni in conspectu tuo ut dies hesternus, quando

præteriit & ut vigilia noctis. Clare hîc innuit revolutionem animarum à vitâ in mortem, & à morte in vitam, idque spacio 4000 annorum, qui sunt nisi una nox ex 4 Vigiliis constans. Quod ipsum mysterium significari videbatur, quando dicitur, quod in quartâ vigiliâ noctis veniebat Jesus super mare ad discipulos. Illud enim tempus, quo Christus venit in carne, fuit in quartâ vigiliâ, hoc est, transactis ferè quatuor mille annis à mundi primordio.

44. Probatur 24. ex verbis Salomonis libro Ecclesiastis cap. 1. a v.4. ad v. 12. Porro ex trifariâ similitudine, solis, venti & fluminis, quæ ostendit variam & multiplicem earundem animarum revolutionem, à vitâ in mortem corporalem, & à morte denuò in vitam, sicut enim idem sol oritur, qui occidit: idem ventus flat ab Austro in septentrionem, & a septentrione in Austrum, idem flumen exit è mari & in mare regreditur, ita eadem generatio, quæ abit è mundo, redit in mundum, nec tamen est recordatio præteritorum, quibus verbis tacitè respondet objectioni, quare igitur homines non reminiscuntur se antea vixisse? Id enim fit ex consilio & bonitate DEI, in fine autem mundi, cum libri aperientur, omnium recordabuntur. Congruè autem Salomon dixit: quicquid esset in illo tempore, fuisse olim, & adhuc futurum, quia omnes animæ jam pridem ante Salomonis

æ tatem


pag 61
4000
1000
1000
1000
1000
333
homo
leo
bos aquila


4000

ætatem veniſſent in mundum, & peragebant ſuas revolutiones, quarum nulla finienda eſſet ante mortem Chriſti in cruce ut clarius poſtea patebit ex tabula revolutionum animarum, quam annexurus ſum.

45. Probatur 25. ex capite Ezech. 36 & 37. v. 12. Aperiam ſepulchra veſtra & faciam vos aſcendere e ſepulchris veſtris (hoc eſt e ſtatu mortuorum) in terram veſtram.

46. Probatur 26. ex rotis iſtis quatuor Ezechielis (cap. 1. & cap. 10) & quatuor animalibus, quæ tamen non ſunt niſi unum animal, quodque animal autem habebat 4 facies, faciem nempe bovis, hominis, leonis & aquilæ, quæ Rotæ cum faciebus nil aliud ſignificant, quàm revolutiones quatuor magnas animarum (unaquaque revolutione magnâ mille annos complectente) quæ magna revolutio tres alias minores revolutiones complectitur, quarum unaquæque tertiam partem mille annorum comprehendit, hoc eſt 333 annos. Etiamſi autem dicantur 4. animalia, & unumquodque dicatur habere 4. facies, non tamen ſunt 16. facies, ſed 12. quia quarta primæ rotæ eſt prima ſecundæ &c. quemadmodum tabula, quam annexurus ſum, poſtea oſtendet. Rotæ iſtæ quatuor dicuntur Gilgal aut Rota, quia non niſi unam maximam rotam conficiunt, revolutionem

nempe maximam 4000 annorum, quæ annum myſticum conficiunt. Pertinent autem illæ rotæ ad homines, non vero ad angelos, quia ſuper terram ſub firmamento volvebantur iſtæ rotæ, quæ nil aliud ſunt quam revolutiones animarum in corpora terreſtria.

47. Probatur 27. Quia illi, qui interficiebant Martyres poſt tempora Apoſtolorum, nempe intra 300 annos à morte Chriſti, occidendi eſſent poſt multa ſæcula, per Turcas, & alios ſanguinolentos viros; contigit hoc autem in apertione quinti ſigilli Apoc. 6. 10.

48. Probatur 28. Quia interficiuntur in effuſione tertiæ phialæ, qui olim interficiebant Sanctos & Prophetas DEI. Vid. Apoc. 13, 9 10.

49. Probatur 29. Quia eſt regula & ordinatio generalis divinæ Juſtitiæ, ut qui interficit gladio, interficiatur gladio, & qui ducit in captivitatem, ducatur in captivitatem, hæc autem raro contingunt in unâ ætate vitæ, & ideò ad diverſas ætates & vitas referenda ſunt.

50. Probatur 30. Quia in Babylone invenitur ſanguis Prophetarum & Sanctorum omnium, qui vixerunt a temporibus Chriſti & Apoſtolorum, imo & ante iſta tempora etiam a 4000 retrò annis, ex quo Babylon cæpit prius ædificari. Numerus enim 4000. annorum integram conficit periodum 12. revolutionum.

51. Pro-

51. Probatur 31. Propter hoc enim fratres defunctorum excitare debebant semen defunctis suis fratribus, ut ii demum in lineâ, quantum fieri potuisset, directâ & propriâ renascantur in mundum, idque propter genealogiam Christi.

52. Probatur 32. Quia propter hoc in parabolâ Dominus laudavit servum istum infidelem, qui pauperibus beneficus esset, ut isti aliquando in domos suas eum recipiant, cum deficeret; & ratione ejus dixit, filios hujus mundi sapientiores esse in genesi, nempè in revolutione geneseως, quam filii lucis.

53. Probatur 33. Quia Apostolus Judas scribit de quibusdam impiis, gratiam DEI in lasciviam vertentibus &c. quod olim præordinati essent ad condemnationem. Olim verò non significat ab æterno, sive ante omnia sæcula, neque enim DEUS ordinat sive adjudicat homines ad condemnationem ante peccata commissa, sed propter peccata ante commissa. Et ideo, qui olim ordinati sunt ad condemnationem, commiserunt gratia peccata in vitâ ante acta, quando olim in pristinis sæculis vixissent, propter quæ DEUS justissimus adjudicavit eos ad talem condemnationem.

54. Probatur 34. Quia Apostolus Petrus 2. Ep. cap. 2. v. 3. scribit de quibusdam falsis doctoribus apud Christianos quod judicium eorum a longo tempore præterito non mo-

morabatur, ad quid hoc autem nisi quod a longo tempore præterito, nempe in pristinis quibusdam sæculis, dum viverent, talia facinora commiserint, propter quæ DEUS ad istud judicium ipsos adjudicavit, quin & non obscurè innuit eosdem falsos doctores apud Christianos, fuisse olim falsos Prophetas apud populum, vide vers. 1. quæ tamen judicia DEI contra istos, si in Christum credidissent, delera fuissent & cancellata (nam & pro eis quoque Christus est mortuus, & morte suâ eos redemit, ut credere potuissent & salvari.) Quia autem non credebant in Christum, pristina sententia, contra eos lata, de novo confirmatur.

55. Probatur 35. Quia dixerat DEUS Abrahamo de Amorëis, quod iniquitas eorum nondum foret implenda, nisi post 400 annos, quia verò illi Amorëi non essent victuri tot annos in carne, imò nec dimidiam partem istorum annorum, clarè sequitur, eosdem ante illos 400 annos completos, denuò excitandos fuisse in vitam, in corpore carnali, ut iniquitatem suam implerent: mirè autem consentit hoc cum numero 333 annorum, intra quos (ex quo mortalium vita multum sit abbreviata) eædem animæ de novo excitantur in vitam, ut tabula sequens demonstrat; quibus 333 annis si addatur 67, conficiunt annos prædictos 400, aut si addantur 97 conficiunt 430

qui

qui numerus annorum 67 aut 97 iſti populo concedendus fuerat, ut in vitâ ſequente iniquitatem ſuam impleret. Porrò iidem Amoreï bis ante hoc vixiſſe potuiſſent poſt diluvium, & ideò tertium vitæ tempus videtur fuiſſe neceſſarium, ſecundum ordinationem divinæ juſtitiæ, priusquam complere potuiſſent ſuam iniquitatem, quâ mereantur è terrâ ſuâ eradicari.

56. Probatur 36. Quia ſalus & vita æterna eſt fructus bonorum operum, quæ ſeminaverunt homines in terrâ, ſive in corpore terreſtri, & ideò qui moriuntur infantes (præſertim ſi prius non vixerant in corpore carnis ad ætatem adultam) denuò excitandi ſunt in vitam, ut adoleſcant, & occaſionem habeant ſeminandi bonorum operum ſemina in vitâ corporis carnalis, ut tandem fructibus laborum ſuorum gaudeant, niſi enim felicitas noſtra eſſet fructus laboris & operis noſtri, vera & propria felicitas non eſſet, nec in ea verum gaudium haberemus; eſſet enim quaſi filius matris alienæ, quem nulla mater amat ut proprium ſuum filium.

57. Probatur 37. Quia alias gratiæ & amoris DEI univerſalis doctrina ſtabiliri, vel defendi non poteſt: Quia ſanè non paucos invenire eſt ab infantiâ ſuâ tam obduratos, & peccatis obrutos, ut toto tempore præſentis vitæ, penitus videantur pœnitentiæ incapaces.

58. Pro-

58. Probatur 38. Quia certe Rom. 11 Apoſtolus ſcribit Judæorum multos occæcatos fuiſſe, idque ſecundum prophetias ſcripturæ olim factas per multa ſæcula, ut credere non potuiſſent, quoad tandèm plenitudo gentium ad Chriſtum eſſet congreganda, & tum illi olim excæcati, denuò erant illuminandi, cum denuò venturi eſſent in mundum.

59. Probatur 39. Quia in parabolâ Chriſti, de ficu arbore non ferente fructum per tres annos, hoc ipſum clarè innuitur. Luc. 13. 6. 7. 8. 9. Quid enim per tres illos annos intelligendum eſt, niſi ter mille anni? Quodlibet enim millenium myſtice per annum ſignificatur in lege, & ideo ſeptimum mundi millenium, quod eſt Sabbatum, per ſeptimum annum ſignificabatur; per ficum verò non ferentem fructum, per iſtos ter mille annos, Judæorum multi ſunt intelligendi, qui a mundi primordio vixiſſent aliquoties in terrâ, nec tamen fructum ferebant. In quarto autem millenio agricola intercedit pro ficu ſterili, & fimum apponit radici ejus, hoc eſt, pro peccatis Judæorum moritur & abundantem ſpiritus Sancti gratiam eis applicat, ut bonum fructum ferant. Et ideo longanimitas DEI patitur omnes homines 4. annos, hoc eſt, 4000 annos, quorum mille per partes vivunt in corpore terreſtri, ut tandem reſipiſcant.

60. Probatur 40. Quia Johannes Baptista movet Judæos ad pœnitentiam hoc argumento: Et nunc axis posita est ad radicem arborum. Matth. 3. 10. Ideò omnis arbor non ferens fructum bonum exciditur & in ignem mittitur. Ad quid autem dixit, Et nunc posita est axis ad radicem arborum? Quia certè illud tempus vitæ fuit ultima revolutio & ultima hora quam multis Judæorum, significans ergo per ista verba, si Judæi nunc pœnitentiam non agant dum viverent in corpore carnali, nullam spem posse eis esse, ut iterum excitentur in vitam, sub diebus Messiæ & vocentur ad pœnitentiam, illud enim tempus fuisse quam multis ultimum, quod habituri essent, & nemo scire posset an aliud tempus haberent vivendi in diebus Messiæ, & ideò verè dixit, axis posita est ad radicem arborum, nempe quam plurimarum. Quibus autem duodecim suæ horæ, aut revolutiones nondum essent elapsæ, ii sane post mortem, quia denuò essent victuri in carne post 6. aut 7. generationes, quasi radicem habebant in terra, nondum excisam ex qua denuò possint veluti novi rami pullulare, & germinare in terrâ.

61. Probatur 41. Quia dives ille, qui patiebatur tormentum in inferno, sciebat se tandem exiturum ex eo loco & nascendum fore denuò in mundum; quod clarè innuitur istis verbis, quia habebat quin-

que

que fratres, quos noluit ut in istum locum venirent, & ideò aliquem cupiebat mittendum fore è mortuis, qui vocaret eos ad pœnitentiam : ad quid enim istam tantam curam habebat de fratribus ; an non sui ipsius commodum in ea respexit ? imò certè, noverat enim quòd ipse tandem post 6 aut 7 generationes, nascendus esset ex aliquo filiorum istorum fratrum suorum, quos ideò bonos esse cupiebat ut ipse tandem occasionem haberet, ut bonus evadat, postquam ex bonis parentibus nascendus esset in mundum.

62. Probatur 42. Quia post Resurrectionem Christi â mortuis, & ascensionem ejus in cœlos, omnes in catenis Satanæ detenti, â primordio mundi denuò essent â morte in vitam reducendi, ut Euangelium audirent, & beneficium eis per Christum acquisitum, oblatum habeant, quod satis patet ex Psalmo 68. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. & Jeschai. cap. 26. 19.

63. Probatur 43. Quia illi 144000 qui signati fuerant, etiam antequam tubæ sonarent, sub tubæ sextæ intervallo excitantur, ut fiant primitiæ DEO & Agno, quod ipsum jam impleri cæptum est, & plene implebitur ad annum 1702.

64. Probatur 44. Quia illi ipsi 144000, etiamsi pro gentilibus habeantur, verè tamen sunt Judæi & Israëlitæ, utpote 12000 ex unaquaque tribu filiorum Israël, Judæi (in

(inquam) sunt & Israëlitæ verè & propriè [& non mysticè tantum] h. e. animas habent verorum Judæorum, qui olim Judæi erant, & ex Judæis parentibus orti.

65. Probatur 45. Quia Sioni h. e. Ecclesiæ Judaicæ promittebatur a DEO, fore, ut filios ejus gentiles adferrent ad eam super brachia, & gererent eos super humeros, quod planè innuit, nascendos eos fore ex gentilibus parentibus, vide Isohai. 49. 21. 22. Rom. 11. 30. 31. 32. Rom. 9. 23. 24. 25. 26.

66. Probatur 46. Quia a mundi primordio, Populus Christo præparabatur, & inter Judæos & Gentiles. Luc. 1. 17. Joh. 4, 38.

67. Probatur 47. Quia Rom. 11, 30. Apostolus Paulus dicit de gentilibus, qui in Christum crederent, quòd in temporibus præteritis non crederent DEO, & nunc tamen misericordiam obtinerent, per tempora autem præterita, pristina sæcula intelligenda sunt, quando olim vivebant in mundo sine verâ DEI cognitione, aut spe in DEUM; confer huc, quæ dicuntur Eph. 2, 2. 3, 11. 12. 13. Gal. . 3. 4.

68. Probatur 48. Quia 2. Thess. 2, 10. 11. Paulus affirmat de eis, quos Satanas esset decepturus in diebus AntiChristi, quod tradendi essent, à justo DEI judicio, efficaciæ erroris, ut venirent in condemnationem, quia amorem veritatis non recipiebant

bant. Quod ipſum ſanè quam clariſſimè pandit rationem, quare DEUS permiſit tam craſſam caliginem & tenebras Cimmerianas mundum invadere, circa 409 annos poſt reſurrectionem Chriſti. Quare etiam iſtas tenebras tam diu permiſit, corda & animos hominum obcæcare, ut ferè in ſeculis præteritis, in regno antichriſtiano, magis obcæcati fuiſſent homines, quam olim, dum in Ethnicifmo viverent, ante Chriſti adventum in carne; Ratio, inquam, hujus eſt, quod illi ſub antiChriſto ſic obcæcati, quando viverent ſub clarâ luce Euangelii, illam lucem non amabant, nec in Chriſtum lucem illam veram, omnem hominem venientem in mundum illuminantem credebant, & ideò juſtiſſimo DEI judicio, cum denuò redeunt in vitam in corpore carnali, tenebris iſtis tam craſſis ità obcæcantur. Ideò autèm lux Euangelii in tantâ claritate, pro tam parvo tempore, ſplenduit in mundo ad ſpatium nempe 333. annorum, & non amplius, ut haberent pleræque humani generis partes opportunitatem ſufficientem, iſtam lucem amplectendi. Qui verò eam ſpernerent, non fuit conveniens, ut ea lux in iſtâ claritate diutius apud eos ſplenderet, adventus enim Chriſti in die ſuâ eſt inſtar ſplendoris matutini, qui citò properat ab oriente in occidentem; & ideo qui illam lucem non amant, nec amplectuntur, digni ſunt,

ut

ut linquantur in tenebris ob tantæ gratiæ neglectum. Qui autem in prædicto spatio annorum 333. a morte & resurrectione Christi claram Evangelicæ veritatis lucem non habebant, sibi à DEO propositam, ii demum postquam denuo victuri sunt in mundo, ante millenii exordium, ad spatium nempe 75. annorum habebant Evangelicam veritatem clarè ante animorum suorum oculos eis lucentem, ut sic omnes, qui pereunt, inexcusabiles reddantur, nemo enim humani generis alicubi terrarum erit, cui clara Evangelii lux non lucebit ante finem, idque tum immediatè tum etiam mediante prædicatione verorum & a DEO verè missorum DEI & Christi servorum, Euangelium enim omni creaturæ ante finem est prædicandum.

69. Probatur 49. Quia ideo DEUS puniebat iniquitates parentum super filios usque ad tertiam & quartam generationem, ut filii parentum tertiæ & quartæ generationis pœnam istam subeuntis meliorarentur & in meliorem vitæ statum emendarentur, ut sic tandem ex eis ita emendatis parentes iidem post tertiam & quartam generationem, hoc est, ex eorum filiis sic emendatis denuo enascantur in mundum & meliores evadant, ex melioribus parentibus orti, nasci enim ex bonis parentibus eximium est DEI donum.

70. Probatur 50. Quia ob hanc ipsam ra-

rationem spurius non admittebatur in con gregationem DEI, nisi ad decimam gene rationem; nempe ut cum secundo nasce retur in mundum in 14. aut 15. generation per istam pœnam illi & filiis suis a DEO inflictam in meliorem statum converteretu & labes illa libidinis depravatæ aliquo mo do expurgetur. Quia vero per Christum omnis peccati labes sincerius & perfectiu expurgatur ab eis, qui credunt in eum ideo dura illa lex de nothis & spuriis cum aliis omnibus ejusdem generis jam aboletur Et hinc etiam verba Pauli intelligi possun de fornicante, quod qui fornicatur, pec cat in proprium corpus, radicem enim suam ex qua denuo oriundus est & in vitam exci- tandus labe suæ fœdæ libidinis inficit & depravat.

71. Probatur ultimo, quia dum quidam Judæorum putabant Christum fuisse Eliam aut Jeremiam aut quendam ex prophetis, quod veritatem talis doctrinæ in genere præsupponebat, ipse Christus ipsam do- ctrinam in genere non condemnavit, sed potius eandem confirmavit dicendo, Johan nem fuisse Eliam. Porro eandem doctrinam non condemnavit sed potius confirmavit in responsione sua ad discipulos de eo, qui cæcus esset natus, & cum disseruit cum Ni- codemo de regeneratione, etiamsi princi- paliter intendebat regenerationem spiritua- lem. Sunt alia argumenta non pauca, quæ

ad-

adduci potuerint ad doctrinam hanc confirmandam, quæ brevitatis causa hic omittuntur.

72. Porro doctrina hæc de Reditu animarum post mortem, ut denuo vivant & nascantur in corpore carnis, multas gravissimas objectiones solvit quam facillime ad obturanda ora atheorum contra DEI justitiam, de statu infantium in infantia sua morientium, de statu fatuorum & dæmoniacorum, qui impuris spiritibus etiam ab infantia possidebantur ad ultimum vitæ momentum; mirabiliter quoque demonstrat justitiam, sapientiam & bonitatem DEI in omnibus suis viis & administrationibus erga humanum genus; Æqualitatem quoque viarum DEI quam evidentissime ostendit & miranda beneficia, quæ per mortem Christi cunctis hominibus, etiam in diebus postremis largissima DEI benignitate accumulantur, quam clarissime evincit, quin & universam fere doctrinam Christianam valde illustrat, confirmat & perficit, salutem Ethnicorum omnium possibilem facit, & tamen necessitatem cognitionis Christi adventus in carne & fidei in Christum ad salutem æternam omnium salvandorum expresse adstruit, Judæorum denique convictionem & conversionem mire promovet.

73. Ex supra dictis autem patet doctrinæ prædictæ Veritas de multiplici animarum

reditu in vitam in corpore carnali, quotie autem fit animarum reditus, paulo distin ctius est explicandum.

74. Omnes animæ, quæ in fide, justi tia & sanctitate non perficiuntur duodecie redeunt, quoad perficiantur, quæ autem in aliqua prima revolutione etiam ante mortem Christi perficiebantur in fide & sanctitate, necesse non habebant, ut redi rent in vitam mortalem, nisi tales sint, quæ in publicum aliquod bonum totius generis humani venturi essent denuo in carnem, quemadmodum in casu Eliæ fit, aliorumque extraordinariorum virorum.

75. Non ergo necesse est, ut plerosque prophetas & sanctos rediisse in vitam affirmemus, postquam in fide obdormiverunt in Domino, etiam ante adventum Christi in carne, multo minus talis reditus est affirmandus post adventum Christi, quia fideles in Christo morientes requiescunt a laboribus suis.

76. Duodecim autem reditus sive revolutiones quibusque animabus imperfectis necessario dari probatur, tum ex horis illis duodecim, quos operarii laborabant in agro, tum quia dies visitationis cujusque animæ 12. horas continet, secundum verba Christi, an non duodecim horæ sunt in die? laborate quoad diem habetis, tum quia quatuor vigiliæ noctis contineant 4000 annos ex Psal. 90. v. 4. & unaquæque vigi-

lia

pag 75

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
000 I 333										000	Bos
II 666	2									333	Homo
III 999	2	1								666	Leo
IV 1332	3	2	1							999	aquila bos
V 1665	4	3	2	1						1332	homo
VI 1998	5	4	3	2	1					1665	leo
VII 2331	6	5	4	3	2	1				1998	aquila bos
VIII 2744	7	6	5	4	3	2	1			2331	homo
IX 2997	8	7	6	5	4	3	2	1		2744	leo
X 3330	9	8	7	6	5	4	3	2		2997	aquila bos
XI 3663	10	9	8	7	6	5	4	3		3330	homo
XII 3996	11	10	9	8	7	6	5	4		3663	leo
XIII 4329	12	11	10	9	8	7	6	5		3996	aquila
XIV 4662		12	11	10	9	8	7	6	1 Sigill	4329	333 $\frac{1}{3}$ bos
XV 4995			12	11	10	9	8	7	2 Sigill	4662	666 $\frac{2}{3}$ homo
XVI 5328				12	11	10	9	8	3 Sigill	4995	999 $\frac{3}{3}$ leo
XVII 5661					12	11	10	9	4 Sigill	5328	1332 $\frac{4}{3}$ aquila
XVIII 5994	23	23	23	23	23	12	11	20	5 Sigill	5661	1665 $\frac{5}{3}$ homo
XIX 6327							22	11	6 Sigill	5994	1998 $\frac{6}{3}$ leo
XX 6740								12		6327	Millen aquila
XXI 7000	23	23	23	23	23	23	23	23		6740 / 7000	

lia tres horas, donec hoc ipsum probatur ex 12. illis faciebus 4 rotarum apud Ezekielem cap. 1. v. 10.

77. Quia vero 12 Revolutiones animæ non nisi in quatuor mille annis perficiuntur, quæ tamen sunt omnes perficiendæ ad finem millenii futuri, ideo omnes animæ suas incipiebant revolutiones a primordio mundi ad annum mundi 274 ¼.

78. TABULA autem subsequens hæc omnia aliaque multa clare ad oculum demonstrabit.

Explicatio hujus Tabulæ.

1. Prima columna continet 7000 annos mundi in horas quasi 21. divisos, quarum unaquæque continet 333. annos.

2. Columna octava ad dextram continet revolutiones animarum a prima ad duodecimam.

3. Columna decima continet intervalla sex sigillorum a resurrectione Christi ad annum mundi circiter 6000.

4. Columna undecima continet 7 oo annos mundi in 21. horas divisos, ut prius, sed ordine paulo aliter disposito.

5. Columna duodecima continet nomina facierum in unaquaque revolutione.

6. Columna secunda continet 12. revolutio-

lutiones animarum a mundi primordio ad annum mundi 3996.

7. Columna tertia continet revolutiones animarum ab anno M. 333 ad annum M. 4329, & ſic deinceps uſque ad annum mundi 6740.

8. Quia vero omnes animæ venientes in mundum habent annos 3996 aut 4000, ut duodecim ſuas revolutiones compleant, ſi modo in bono non perficiantur, ideo omnes animæ venerunt in mundum & primam ſuam revolutionem ſaltem exorſæ ſunt intra exordium mundi & annum mundi 2744, nam ſi numero 2744 addantur 3996 conficitur numerus 6740, ultra quem animarum revolutio non excurrit.

9. Animæ, quæ a primordio mundi veniebant in mundum, duodecimam ſuam & ultimam revolutionem habebant circa annum M. 3996.

10. Poſt annum igitur 3996 quædam animæ non eſſent amplius venturæ in mundum, quoad exordium millenii, ſi ſanctæ ſint, & non niſi exacto millenio, ſi malæ ſint aut nondum purgatæ.

11. Et ideo Chriſtus debebat ſe DEO Patri offerre pro peccatis omnium hominum circa annum M. 3996. Alioquin qui ſuas peregiſſent 12. revolutiones beneficium iſtius ſacrificii non habuiſſent ſi ſerius veniſſet.

12. Quia denique quam plurimæ animæ
ſuas

ſuas revolutiones perfecerunt inter annum 3996 & 4329 Ideo ex quo Chriſtus a morte reſurrexit, nullus homo [absque particulari aliqua revelatione divina) certus eſſe poſſit, quod denuo venturus ſit in mundum, ut reſipiſcat. Et ideo nullus ex predicta doctrina aut poteſt aut debet ſe indulgere in vita male acta ſub ſpe, quod denuo venturus eſt in mundum, quia non poteſt certo ſcire, an venturus ſit denuo in mundum nec ne.

13. Ex quo vero annus Mundi 5661 elapſus eſt, nemo, qui in finali impœnitentia eſt mortuus, etiamſi denuo venturus eſt in mundum intra millenii beati intervallum, poteſt tempus priſtinum amiſſum ſic redimere, ut aut millenii felicitate gaudeat, aut reſurrectionem juſtorum obtineat in hoc mundo. Quia certe felicitas millenii & reſurrectio juſtorum illis ſolis, ut prœmium deſtinata eſt, qui in priſtinis vitæ temporibus vitam ſanctam duxerunt ante millenii exordium, quod ipſum ſignificabatur in hoc, quod non liceret Iſraelitis in Sabbato manna colligere. Nullus ergo mortalium aut poteſt aut debet vitæ ſuæ emendationem in aliud vitæ tempus differre, quia hoc ipſum præſens tempus eſt ultimum, quod dabitur alicui in hoc mundo, ut ſalutem obtineat.

14. Quia vero ante mortem Chriſti homines potuiſſent magis doctrina hac de re-

volutionibus animarum abuti, quam nunc aliquo modo possunt, ideo secundum ordinationem divinæ Sapientiæ factum est, ut prædicta doctrina plerumque lateret ut mysterium absconditum, quod non nisi viris bonis esset aperiendum. quod ipsum tamen nunc absque periculo aperiri & potest & debet, nam & magno usui est ad convincendos Judæos, aliaque religionis Christianæ capita magis demonstranda.

15. Ex doctrina autem prædicta Justitia DEI in puniendo impios & rebelles clare demonstratur. Quia enim omnes impii & rebelles mille annos peccaverunt in DEUM, dum viverent in corpore carnali, ideo justissimum est ut 7000. annos in igne gehennæ post finem hujus mundi supplicium patiantur, sic enim DEUS, qui omnia facit numero mensura & pondere, damnatorum etiam pœnis numerum, mensuram & pondus destinavit, ut quisque rebellis & obstinatus septies puniatur, quo spatio 7000. annorum peracto eædem animæ denuo mittuntur in mundum sequentem, ut novam sustineant obedientiæ probationem. Quos autem spatium hoc 7000. annorum, quo in igne infernali puniendi sunt, pœnis certe acerrimis & tremendis non arcebit a peccato, ii sane tam stupidi sunt, ut nullæ pœnæ quam longissimæ verbis conceptæ eos a peccato absterrere possunt. Nec enim infinitudo illa sæculorum, in quibus homines

mines mali puniendi eſſent, quæ a quam multis eſt prædicata, homines reformavit, ſed quam plurimos magis in deſperationem adegit & corda multorum contra infinitam DEI bonitatem & clementiam obduravit.

16. Quod vero quiſque ſuam peragens revolutionem a prima ad duodecimam ter venit in mundum in corpore carnali ſpatio unius millenii, qui eſt inſtar unius anni, conſidera, an non hoc eſt, quod ſub lege figurabatur, dum omnes in anno unoquoque ter apparere debebat coram Domino, apud templum Hieroſolymæ, quod templum corporis figurabat, nec myſterio carere videtur, quod templum Hieroſolymitanum annos circiter mille conſiſtebat antequam penitus & fundamentaliter evertebatur.

17. Porro & illud quoque animadverſione dignum eſt, animas omnes quaſcunque intra horas decem, undecim & duodecim cum parte aliqua horæ nonæ & decimæ tertiæ, ſemel in qualibet hora vixiſſe in corpore carnali, ſi modo omnes ſuas revolutiones duodecim peregiſſent a mundi primordio.

18. Ergo & in unius horæ ſpatio (intervallo nimirum 333 annorum) omnes animæ nondum in bono perfectæ vivebant in mundo, ab anno videlicet Mundi 3996 ad annum M. 4329.

19. Et ideo intra iſtam horam omnes homines, qui duodecimam ſuam peragebant revolutionem, aut etiam undecimam, decimam, nonam aut octavam, euangelium audire debebant, quia animæ duodecimam peragentes revolutionem, nondum eſſent reverſuræ, aliæ vero quæ eſſent reverſuræ propter tenebras Anti-Chriſtianas non habebant opportunam occaſionem Euangelium ſincere prædicatum audiendi.

20. Aliæ vero a morte & reſurrectione Chriſti ſeptimam, ſextam & quintam peragentes revolutionem, ſi modo intra horam prædictam non audiverunt, audituri ſunt in ſequentibus ſuis revolutionibus, ante exordium millenii, nempe intra annum 170:. & annum 1777. a nativitate Chriſti.

21. Quod vero in 20. Apoc. dicatur, reliquos mortuorum denuo non vixiſſe, niſi poſt tranſactum millenium, hoc certè intelligendum eſt de illis mortuis, qui duodecim ſuas revolutiones perfeciſſent. Qui vero nondum perfeciſſent ſuas revolutiones etiam in millenio erant denuò victuri. Nulli vero, qui ad Babylonem pertinebant, in millenio victuri ſunt, quia revolutionem ſuam primam incipiebant ad annum M. 1744. & ideo duodecimam finituri ſunt ad annum M. 5740. Conſideratione vero magna dignum eſt, eoſdem homines,

nes, qui tandem in Babylone ſpirituali deſtruentur, fuiſſe eos, qui Babylonem externam & literalem exſtruxerunt.

79. TABULA ſecunda exhibens rotam Maximam. 4. Magnas & 12. Parvas. Magna continet 1000. Parva 333 annos, Maxima 4000 annos.

Tabulæ ſecundæ Explicatio.

1. In hac Tabula circulus maximus & extremus maximam animarum revolutionem in hoc mundo deſignat, quæ eſt 3996 aut 4000 annorum.

2. Circuli denique quatuor majores deſignant eoſdem 4000 annos, ſic ut unus tantum mille annos deſignet.

3. Et denique minores circuli unicam tantum revolutionem aut faciem 333 annorum deſignant.

4. Præcipuus autem Tabulæ uſus eſt, ut oſtendatur non eſſe niſi 12 facies, etiamſi quilibet magnus contineat quatuor minores.

80. Maxima animarum revolutio 4000 annos complectens, pulchre nobis adumbratur ſub typo creationis ſex dierum. Quemadmodum enim opus primi diei perficiebatur in quarto, opus ſecundi in quinto, opus tertii in ſexto, omnia denique in ſeptimo, ita animæ, quæ incipiunt ſuas revolutiones in primo millenio, perficiunt eas

in quarto, sicque annum suum mysticum complent, & perfectæ fiunt in bono, aut in malo; quæ in bono perficiuntur in millenio excitantur in vitam corporalem & post transactum millenium corpore carnali immutato & spirituali facto ascendunt in cœlum. Quæ vero in malo perficiuntur in fine mundi post transactum millenium excitantur in vitam corporalem, ut patiantur judicium divinum in conflagratione mundi, quarum proinde resuscitatio est ad mortem & comdemnationem. Porro animæ, quæ incipiunt suas revolutiones in secundo millenio, perficiunt eas in quinto. Quæ denique incipiunt suas revolutiones in tertio millenio perficiunt eas in sexto. Et quia in sexto die conditionis mundi homo condebatur perfectus in imagine DEI, ideo in sexto millenio omnes sancti excitabuntur in vitam corporalem, & nascentur in mundum, spatio nimirum 260 annorum, ab anno mundi 5740 ad annum mundi 6000. talemque vitam sanctam & beatam vivent super terram, qualem Adamus vixisset, si non peccasset, imo & longe feliciorem, quia enim & abundavit peccatum, ideo & superabundabit gratia DEI. Lux vero hujus diei erit, ut lux septem dierum, quia quicquid fiebat in sex primis diebus, in hoc septimo perficietur.

81. Denique quod sub lege arbores fru-

 ctum

ctum ferentes habebantur præputiatæ ad quartum annum, in quarto autem anno eſſent quaſi circumciſæ & ſanctæ Domino, in quinto demum anno fructus earum comedebantur. Hoc totam revolutionem animarum clare ſignificat, quæ non niſi in quarto millenio poſt Chriſti nempe adventum in carne perficiebantur. Ille enim ſuo ſanguine purgavit noſtra peccata in ligno, dum pendebat in cruce, ſic ut nobis non imputarentur, ſi modo in ipſum credamus, & Evangelicam Spiritus Sancti gratiam ab eo recipiamus. Quintus vero annus millenium Sabbaticum ſignificat, in quo fructibus laborum & manuum fruimur. Sicut autem ſub Lege, dum manna habebant, non licebat eis in Sabbato ipſum manna colligere; ita in Millenio Sabbatico qui nihil colligebant in vita anteacta, millenii felicitate gaudere non poſſunt. Quemadmodum denique manna Sabbato inſerviens colligebatur die ſexto, ita in fine ſexti millenii omnes ſancti excitantur in vitam & beatitudinem millenii Sabbatici acquirunt.

82. Ex prædictis autem numeris 333 annorum & 260 myſteria ſeptem ſigillorum & ſeptem buccinarum clare panduntur.

83. Quod enim intervallum primi ſigilli contineat 333 annos, patet ex verbis primæ beſtiæ, veni, vide & ſic de reliquis, plane innuens, intervallum cujuſque ſi-

gilli a primo ad sextum complecti 333 annos, qui sunt intervallum unius revolutionis seu faciei, ut in tabulâ primâ, columnâ decimâ videre est.

84. Continet ergo intervallum primi sigilli annos a Christi morte & resurrectione. 333 $\frac{1}{3}$

Intervallum secundi sigilli se extendit ad. 666 $\frac{2}{3}$

Intervallum tertii sigilli se extendit ad. 999 $\frac{3}{3}$

Intervallum quarti sigilli se extendit ad 1332 $\frac{4}{3}$

Intervallum quinti sigilli se extendit ad 1665 $\frac{5}{3}$

Intervallum sexti sigilli se extendit ad 2000.

85. Quæ vero prædicebantur eventura sub apertione cujusque sigilli, mire respondent istis intervallis. In apertione primi sigilli a morte Christi ad annum 333, euangelium prædicatur fere toti mundo, quod significabatur per album equum & equo insidentem coronatum & arcum habentem, nempe Christum. Post illud tempus lux Euangelii propter hominum peccata, non ita splenduit. In apertione secundi sigilli, Imperium Romanum bello quam plurimum infestabatur & quasi obruebatur, contigit hoc inter 333 & 666. In apertione tertii sigilli h. e. a 666 ad 1000, fames secuta est, bellum & caritas anonæ, ut communiter accidit, famem continuo bellum in-

infectari, bellum autem per rufum equum, fames vero per nigrum defignatur. In apertione quarti figilli ab anno 1000 ad annum 1333 non folum cruenta bella fed nefandæ quoque idololatriæ, fuperftitiones & hærefes mundum infeftarunt, fignificabantur autem per equum pallidum: infidens equo eft mors, quam infernus fequebatur. In apertione quinti figilli animæ fanctorum martyrum clamant ad DEUM, ut vindicet eorum fanguinem, quod fane factum erat, nam ab anno 1333 a morte Chrifti, potentia Turcarum eorumque imperium mire prævaluit, quorum gladio DEUS fanguinem Sanctorum vindicavit. Intervallum hoc non amplius fe extendit quam ad annum a morte & refurr. Chrifti 1666, hoc eft ad annum a nativitate Chrifti 1700. Porro intra hoc ipfum intervallum multi fancti erant interficiendi, qui complerent numerum definitum una cum Sanctis iftis prius occifis, & hoc quidem luculenter eft impletum, ampliufque eft implendum ad annum a nativitate Chrifti 1700. In apertione fexti figilli hoc eft, in intervallo temporis ab anno 1666 (a morte & refurr. Chrifti) ad annum 2000, omnia mundana & humana Imperia regna corruent, imperiumque & regnum totius mundi Chrifti erit & Sanctorum. Significatur hoc autem per magnum terræ motum, obfcurationem Solis & Lunæ, cafum ftellarum, cœli

remotionem &c. Clarius autem hoc indigitatur verbis ſequentibus de regibus terræ, ducibus aliisque potentibus, quod ſe abſconderent &c. quæ ſane Prophetia temporibus Conſtantini non poteſt omnino recte applicari, quod tamen multi faciunt. Sigillum ſeptimum, quia non reſpicit particulare intervallum aliquod, ut 6. priora ſigilla, ſed generalem complectitur hiſtoriam, ideo per ſe conſiderandum eſt.

86. In apertione ſeptimi ſigilli factum eſt ſilentium in cœlo pro horæ quaſi dimidio, poſt hoc ſilentium, ſeptem angeli cum buccinis ſuis ſe parant ad ſonandum Apoc. 8. Quare ſigillum hoc ſeptimum continet intervalla omnium ſeptem buccinarum.

87. Intervalla autem harum buccinarum aut tubarum habentur ex ſeptima, ad ſonitum enim ſeptimæ tubæ Apoc. 11, 15. incipit millenium & regna mundi fiunt Domini & Chriſti. Continet autem ſonitus hujus tubæ 260. annos nempe ab anno Mundi 5740 ad annum M. 6000. In hoc autem intervallo myſterium DEI conſummabitur, myſterium ſcilicet nominis Tetragrammaton pandetur, prœmiumque vitæ immortalis omnibus DEI ſervis exhibebitur, & tum quidem promiſſio illa DEI facta Moſi apud rubum implebitur: Ego ſum DEUS Abrahami, Iſaaci & Jacobi, & quod DEUS non ſit DEUS mortuorum

ſed

ſed viventium intelligetur.

88. Cognito autem ſeptimæ tubæ intervallo, cognoſcuntur & aliorum omnium intervalla, quæ ſic ſe habent:

Intervallum ſeptimæ tubæ ab anno M.	5740	ad A	6000
Intervallum ſextæ tubæ ab anno M.	5480	ad A	5740
Intervallum quintæ tubæ ab anno M.	5220	ad A	5480
Intervallum quartæ tubæ ab anno M.	4960	ad A	5220
Intervallum tertiæ tubæ ab anno M.	4700	ad A	4960
Intervallum ſecundæ tubæ ab anno M.	4440	ad A	4700
Intervallum primæ tubæ ab anno M.	4180	ad A	4440

89. A nativitate auten Chriſti ſic.

Intervallum primæ tubæ incipit ad annum 218 a nativitate Chriſti, qui eſt annus 184 a reſur. Chriſti, qui numerus 184. reſpondet dimidiæ horæ, intra quod tempus multæ preces offerebantur DEO a ſanctis per Jeſum Chriſtum. Apoc. 8, 3. 4. 5.

1	218
2	478
3	738
4	998
5	1258
6	1518
7	1778
	2038

90. Eventus autem prædicti iſtis intervallis luculenter reſpondent. Ad ſonitum primæ tubæ ſequebatur grando & ignis cum ſan-

ſanguinis commixtione, intervallum hujus tubæ eſt ab anno nativ. Chriſti 218 ad annum 478. intra quod imperium Romanum cæpit bellis graviſſimis vexari: ad ſonitum ſecundæ tubæ magnus mons ardens injectus fuit in mare, & tertia pars ipſius maris converſa eſt in ſanguinem, intervallum hujus tubæ eſt ab anno 478 ad annum 738, intra quod atrociſſima bella ſunt facta in Imperio Romano. Ad ſonitum tertiæ tubæ magna ſtella cecidit de cœlo, ardens tanquam lampas ſuper tertiam partem vivorum & fontium aquarum, propter quod aquæ factæ ſunt amaræ, quæ multos occidebant. Intervallum hujus tubæ eſt ab anno 738. ad annum 998, per ſtellam hanc Papa Romanus procul dubio eſt intelligendus, qui intra hoc intervallum ſe evexit ſuper alios omnes Epiſcopos, quos ſecum depravabat. Ad ſonitum quartæ tubæ ab anno 998 ad annum 1258 tertia pars Solis, Lunæ & ſtellarum percuſſa eſt & obſcurata, ſignificat hoc certe Imperatorem una cum Regina ſua & magnatibus quam plurimum obſcurandos fore intra hoc intervallum, idque propter potentiam Papæ Romanæ, qui in eodem intervallo ſe evexit ſupra ipſum Imperatorem.

91. Quod vero ad ſonitum quintæ tubæ, ſtella cecidit de cœlo, cui dabatur clavis abyſſi &c. Cum vero abyſſus aperiebatur, ſu-

fumus aſcendebat & de fumo locuſtæ prodibant ſuper terram, quæ homines vexaverant. Certe per omnia hæc ſignificantur Scholaſtici & Doctores Scholarum, qui perverſis ſuis opinionibus & controverſiis homines quam acerrime pupugerunt, & aculeis ſuis acutiſſimis & venenoſis infeſtarunt, ita ut multi mori magis quam vivere deſiderarent. Contigit hoc autem ab anno 1258 ad 1518. præcipuum autem eorum tempus fuit 5 menſium, hoc eſt 150 annorum nempe ab anno 1368 ad annum 1518.

92 Denique quod ad ſonitum ſextæ tubæ, ſolvuntur 4 Angeli ligati ad fluvium Euphratem, ſignificatur hic certe Turcarum magna vis (quæ ab annis 390 præteritis h. e. ab anno 1228 parabatur) quæ tanquam fluvius irrueret in Europam, tertiam quaſi mundi partem ad tertiam partem humani generis interficiendam. Incæpit hoc autem ab anno 1518, de cujus veritate conſulat, qui velit, hiſtoriam Turcarum & videbit, quantum progreſſum & ſucceſſum habuit Turca in Europa ab eo tempore uſque ad hunc diem.

93. Cognitis hoc modo intervallis ſigillorum & tubarum prodit ſe quoque ſeptem phialarum myſterium cum intervallis uniuscujuſque.

94, Intervallum enim tubæ ultimæ complectitur intervalla omnium ſeptem phialarum, quodque autem intervallum phialæ continet 37. annos. 95. In-

95. Intervalla igitur phialarum sic se habent:

Intervallum 1. Phialæ ab anno	1518	1
ad annum	1558	2
Et sic deinceps ad 7	1592	
	1629	3
	1666	4
	1703	5
	1740	6
	1777	7

96. Mire autem eventus rerum istis intervallis respondent, nam anno 1518 (hoc est anno 1515 secundum vulgarem supputandi rationem, quæ deficit a vera per 3 aut 4 annos, si Uschero credamus) excitatus est Lutherus, qui quasi prima fuit phiala effusa super terram orbis antichristiani, ille enim quasi infimam partem regni antichristiani tetigit veluti in superficie. Porro ab anno 1558 ad annum 1592 secunda effusa est phiala, tum enim mare orbis antiChristiani factum est ut sanguis mortui, exinde cœpit bellum atrocissimum in omnibus partibus fere regni antichristiani sic ut ipsum mare sanguine rubere videretur. Ab anno autem 1592 ad annum 1629 phiala tertia effusa erat super rivos & fontes aquarum & in sanguinem conversi sunt, quin & hoc etiam dicto intervallo respondet, qui-

quidam enim Magnates & Duces in regno antichristiano sub eo intervallo gladio interfecti erant. Denique ab anno 1629 ad annum 1666 effusa est quarta phiala in Solem anti-Christianum, quia sane in eo intervallo Sol ille justitiæ Christus clare splenduit in cordibus multorum, quod ipsum urit homines habentes notam bestiæ. Porro ab anno 1666 ad annum 1703 quinta phiala effunditur super thronum bestiæ, quod ipsum inceptum est, quare læti exspectemus exitum usque ad annum prædictum 1703. Sextæ demum phialæ effusio cladem Turcarum respicit, ut via paretur regibus orientis h. e. Judæis & Israëlitis, ut redeant in suam patriam. Septimæ tandem phialæ effusio extremam destructionem regno anti-Christiano omnibusque adversariis Euangelii adfert. Corruit funditus Babylon & nova Hierosolyma descendens de Cœlo apparet super terram, ut sponsa adornata.

97. Quatuor autem animalia & viginti quatuor Seniores, qui sint, restat ut explicemus. Per 4. animalia totus Sanctorum cœtus significatur, qui propter quatuor suas magnas revolutiones prædictas quatuor appellantur & 4 animalibus assimulantur; per 24 autem Seniores intelliguntur 12 Prophetæ cum 12 Apostolis Christi. Qui vero sint isti Prophetæ lege apud Esdram lib. 2. cap. 1. ubi simul cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo

cobo expreſſe nominantur & promittuntur a DEO ut duces ſint Judæis & populo Iſraëlitico, quando ipſis regnum DEI reſtaurabitur.

98. Primi omnium igitur Prophetæ naſcentur in mundum in exordio millenii, qui ſint duces ad alios poſtea naſcendos, Apoſtoli autem erunt poſtremi, qui proinde manſuri ſunt in terra, uſque ad Chriſti adventum.

99. Ad Abrahamum vero Iſaacum & Jacobum quod attinet, altioris ſunt ordinis, quam cæteri aut Prophetæ aut Apoſtoli.

100. Porro dignum eſt diligenti noſtra inquiſitione an non Iſaacus ſit illud ſemen Abrahami, quod Chriſtus aſſumſit, cum veniſſet in carnem, promiſſio enim DEI facta Abrahamo fuit de Iſaaco, quod in eo omnes gentes eſſent benedicendæ.

101. Deinde ſi Iſaacus fuerat illud ſemen, porro inquirendum eſt, annon anima Iſaaci duodecim perfecit revolutiones a primordio mundi, quemadmodum & aliæ. Quod ſi hoc concedatur, vide ſi non in genealogia Chriſti a Luca tradita, omnes duodecim revolutiones iſtius animæ ordine deſcribuntur, ponendo Abelem vice Adami, poſt ſeptimam quamque generationem novâ animæ ſemper iſtius revolutione incipiente.

102. Nomina autem iſtius animæ in 12 ſuis

suis revolutionibus sic essent. 1. Abelis. 2. Methusela 3 Heberus. 4. Isaacus. 5. Naasson, 6 Mattatha. 7. Simeon. 8, Elmodam. 9. Rhesa. 10. Nagge. 11. Melchi. 12. Christus. Septem enim generationes interveniunt in omnibus his revolutionibus, sola ultima excepta, ubi non 7. sed 6. habentur, quod hoc modo possit intelligi, quia resurrectio Christi a mortuis fuit quasi septima generatio & ascensio in Cœlis quasi octava.

103. Ideo autem ponuntur septem generationes inter quamque revolutionem, quia certe, in aliis aliarum animarum revolutionibus, eædem animæ post sextam aut septimam quamque generationem redeunt. Intervallum autem 6 generationum animæ, quam Christus assumpsit, convenire non potest, tum quia sic non 12 sed 13 revolutiones & amplius habuisset, tum quia nulla revolutionum incidisset in Isaacum, quod est absurdum.

104. Quæ certe Hypothesis si concedatur, varia scripturæ loca quam difficillima pandentur & mirabili harmonia mysterium nativitatis Christi cum aliis multis mysteriis hic traditis & porro tradendis conveniet.

105. Loca Scripturæ difficilia, quæ sic pandentur, sunt (1.) Gen. 3, 15. Quod semen mulieris esset contriturum caput serpentis, quod ipsum semen mulieris secundum

dum prædictam hypothesin de Abele intelligendum est, sicut quoque semen Serpentis de Caino est intelligendum, nam in his duobus seminibus velatis in 2 radicibus filii DEI & filii hujus Seculi cumprehenduntur. (2.) Gen. 4. 1. nato Caino dixit Eva accepi virum יהוה, vel ut alii legunt, cum יהוה, si prius, male & falso applicuit Caino, quod Abeli debebatur, si posterius, innuit, quod una cum viro illo mundano accepisset eum, qui nomen יהוה super se in plenitudine temporis portaret. (3.) Jeschaiæ 7, 14. Virgo concipiet & pariet filium & vocabit nomen ejus Immanuel, quam prophetiam Matthæus applicuit Christo de Maria Virgine nato, quæ tamen Prophetia in diebus Regis Ahaz impleri debebatur, fac igitur ut & in diebus Regis Ahaz, & postea, cum Christus esset natus, prophetia illa fuisset impleta, nempe quod eadem anima bis in carne nata esset ex Virgine & forsan ex eadem matre, & tum prophetia illa intellectu facilis erit. Talis autem partus Virgineus octavæ revolutioni respondet nomen Elmodam habens, qui cum rege Ahaz vivebat. Non obstat quod is Elmodam patrem Ez habuisse dicitur. Christus enim filius Josephi quoque dicebatur. 4) Hos. 11, 1. Ex Ægypto vocavi filium meum; hæc prophetia etiam olim implebatur, & tamen eam Euangelista applicuit tempori, quo Maria cum puero rediit ex Ægy-

Ægypto, quod si de eadem anima intelligatur utraque impletio mire convenit, Naasson enim Princeps filiorum Judæ, qui exivit ex Ægypto cum reliquis Israëlitis respondet quintæ revolutioni ejusdem animæ. (5.) Gen. 49. 10. Non discedet sceptrum a Juda, nec legislator ab intra pedes ejus, quoad venerit Shilo, h. e. ille qui promissus est, Rex & legislator totius populi, non discedet a tribu Juda, sed revolutiones suas integras complebit in linea directa tribus Judæ, idque non obstante omnifaria afflictione, quæ gentem Judaicam premeret, manebit tamen radix Jessæ, quæ virgam tandem promissam salutarem producet in mundum. Prophetia autem hæc de externo sceptro aut regno Judæ intelligi non potest, illud enim discessit a Juda supra 160 annos, [toto nempe tempore regni Maccabæorum, qui Levitæ erant) antequam Christus in carne nasceretur. (6.) Mich. 5, 2. Ex te viz. Bethlehem exibit mihi Dux Israëlis, cujus exitus fuerunt ab olim, etiam a diebus seculi, quia nempe secundum prædictam hypothesin, exitus sive revolutiones habebat 12 a principio mundi ad tempus, in quo natus est ex Maria Virgine. (7.) Jeschaiæ 61, 1. 2. Spiritus Domini DEI est super me &c. annum Domini acceptabilem annunciare, ad quid autem annus Domini acceptabilis dicebatur tempus illud, quo Christus venit in carnem,

nem, nempe, quod secundum prædictam hypothesin, quemadmodum Sol unius anni spatio 12 partes Zodiaci percurrit, motumque suum absolvit, ita Christus ille Sol justitiæ spatio nimirum 4000 annorum, qui annus quasi mysticus est, 12 partes seculi, factis 12. revolutionibus, peragravit, & ideo illud tempus, cum e virgine Maria nascebatur, plenitudo temporis dicebatur a Paulo; huc confer, quæ dicuntur Psalmo 19 a vers. 1. ad 7. (8). De Christo enim Prophetis & Apostolis Psalmum illum intelligendum esse & de Ecclesia DEI clarum est ex Rom. 10, 18. (.) Vide etiam Heb. 10, 5. cum Psal. 40, 46. Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem mihi præparasti, corpus autem hoc, non est merum aliquod corpus, sed corpus animatum, h. e. animam cum corpore, quod ipsum est semen Abrahami, quod Christus assumsit, quod semen 12 revolutionibus ab exordio mundi ad id tempus totidem veluti præparationibus aptabatur ut tandem Solium & tabernaculum foret, pro Rege gloriæ Jesu Christo, quæ omnia dicuntur tantum secundum prædictam hypothesin & non absolute; Quare de istius Hypotheseos veritate amplius cum sobrietate divina favente gratia inquirendum est priusquam positive & absolute de ea statuatur. (10.) Quod etiam Christus in Scriptura præcursor noster appellatur prædicta hypothesis mire

mire videtur illuſtrare, quia certe ſecundum eam ab initio mundi curſum ſuum 12. Revolutionum peragebat, & primus omnium curſum iſtum ſuum & periodum 12. Revolutionum perfecit. (11.) Quod denique ſimilis nobis factus eſt in omnibus excepto peccato, id ipſum ſecundum prædictam hypotheſin magis illuſtratur. Sunt & alia multa ſcripturæ loca, quæ hypotheſi prædicta illuſtrari multum videntur. Nec obſtat, quod dicitur, Chriſtum ſemel in fine mundi apparuiſſe, peccatum ſui ipſius Sacrificio expurgare, quia certe illa anima in 12 tantum revolutione ſua nomen Chriſti & Domini ferebat, non enim Abelus aut Iſaacus aut alius quisque iſtarum 12 revolutionum Chriſtus dicebatur, nec Chriſti nomen aut dignitatem ferre debebat eorum aliquis, quoad 12 revolutiones perficerentur, quibus iſta anima præparari debebat ad nominis & dignitatis iſtiusmodi excellentiam ſubeundam. Quare verum eſt, quod Chriſtus ſemel tantum in carne natus eſt, & ſemel tantum pro peccatis humani generis paſſus eſt, etiam prædicta hypotheſi conceſſa, quia eam animam utique ſemen Abrahami Chriſtus non ſibi aſſumpſit in unitatem perſonalem, niſi in duodecima revolutione. (12.) Denique quod Moſes prædixerat fore ut DEUS excitaret populo Iſraëlitico de fratribus eorum Prophetam ſimilem illi, nempe ipſi Moſi;

Vox excitare innuere videtur animam istius Prophetæ quondam antea in carne vixisse, imo & tum quoque in carne viventium fuisse.

106. Prædicta quoque hypothesis [si obtineret] efficacissimo profecto argumento nos armaret ad convincendos Judæos, Messiam fuisse illum ipsum, qui ex Maria natus fuit, & sub Pontio Pilato est passus. Non enim nec citius nec serius venisse debuit in mundum, quam illud ipsum tempus, quo venit. Citius non debuit venisse, quia si venisset citius 12 suas revolutiones annorum 3996 non perfecisset. Serius denique venire non debuit, quia alioquin quædam animæ revolutiones suas omnes perfecissent, antequam venisset Messias, & sic de fructu & beneficio adventus ejus in carne frustratæ essent, quod fieri non potuit.

107. Seposita autem prædicta hypothesi, æque efficax manet argumentum, ac prius, ad convincendos Judæos, debuisse Messiam non serius venisse in mundum, quam de facto venit [citius autem non venisse eum, ipsi Judæi non negabunt] quia certe si serius venisset, ergo ante ejus adventum quædam animæ suas 12 revolutiones peregissent, & sic nullum beneficium adventu Messiæ in mundum habuissent.

108. Eo magis argumentum hoc ad Ju-

dæos convincendos efficax erit, quia ipſi Judæi revolutiones animarum aliquoties in carne venientium agnoſcunt, etiamſi de numero iſtarum revolutionum ignari ſint. Quia denique Judæi expectant, omnes excitandos fore in vitam in diebus Meſſiæ, ut beneficiis adventus illius gaudeant, cum advenerit. Quod ſi ex Veteri Teſtamento, quod illi agnoſcunt, pandetur illis, revolutiones animarum in carne venientium 12 eſſe, & nec plures nec pauciores, quoad tandem in bono aut in malo perficiantur, confectum eſſe negotium videbitur, ut Judæi ſaltem omnes ingenui & veritatis in aliquo modo aut gradu cognoſcendæ cupidi, Meſſiam advenisse convincantur, proximumque erit, ut in eum in carne adventum, paſſum & a morte excitatum credant & credendo, ut veri ſint Chriſtiani, convertantur, quod ipſum DEUS clementiſſimus acceleret & perficiat. Amen.

109. Quod autem Paulus dixerat 1. Cor. 15, 51. Ecce oſtendo vobis myſterium, non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur; iſtis verbis plane innuit, fore, ut aliqui dormirent Sanctorum, poſtquam in carne naſcendi erant & denuo a mortuis excitarentur, hoc ſane affirmavit, propter Moſen & Eliam, qui annos aliquot ante millenii exordium venturi ſunt in mundum, & in carne naſcendi, quique annos tres & dimidium in mundo

prophetabunt, Judæis præsertim & populo Israelitico, quibus annis tribus cum dimidio elapsis occidendi sunt sub bestia, & tribus diebus cum dimidio postea excitandi sunt in vitam in eisdem corporibus, quibus occisi erant, excitati autem in terra non commorabuntur, sed adscendent in cœlos, & cum Christo in cœlis manebunt usque ad finem mundi, & tunc quidem cum eo advenient in nubibus cœlorum.

110. Quod enim duo illi testes Apoc. 11. sint illi duo Prophetæ mihi certe clarissimum est, qui sensu proprio & literali occidendi sunt, quorum occisio futura est inter sextam & septimam tubam, hoc est sub fine intervalli sextæ tubæ, ut videre est ex verbis Apocalypsis. Dies quoque Prophetiæ suæ 1260, non totidem annos, sed tantum dies vulgares significant, quia certe 1260 anni non habentur intra sextam & septimam tubam, sed tantum 1260, & tamen eventus ille admirabilis intra illas tubas casurus est, imo sub fine sextæ tubæ, nam & nascendi sunt & occidendi in spatio isto annorum 45, ante millenii exordium.

111. Eliam venturum ante millenii exordium patet ex verbis Christi, veniet quidem Elias & omnia restaurabit.

112. Quod denique & Moses & Elias venturi erant & occidendi & a mortuis excitandi, qui denique ascenderent in cœlum

&

& manerent cum Christo toto millenio apparet, quod in transfiguratione Christi in monte videbantur cum Christo Moses & Elias, hi autem sunt, quibus a Patre ordinatum est, ut sedeant unus ad dextram alius ad sinistram Christi in regno cœlorum.

113. Quare superioris ordinis sunt, supra omnes Prophetas & Apostolos.

114. Considera igitur & perpende diligenter, an non Abrahamus, Isaacus & Jacobus, sedentes in regno cœlorum, sint Moses & Christus & Elias, quorum duorum longe dignior est Christus. Considera etiam, an non idem Moses fuerit Enochus, & an non, quod de Enocho & Elia scriptum est, qui in cœlum translati erunt, veræ huic translationi Mosis & Eliæ respondeat. Non enim in prima ista translatione resurrectionem corporis glorificati obtinebant, sed potius illud in figura eis contigit. Christus enim solus omnium primus resurrectionem corporis glorificati assecutus est, & ideo primogenitus a mortuis in Scriptura appellatur & primitiæ resurrectionis mortuorum. Primus omnium igitur surrexit a mortuis nunquam amplius moriturus Dominus noster & Salvator Jesus Christus, deinde primi omnium post illum resurgent Moses & Elias, deinde reliqui Prophetæ & Apo-

ſtoli cum ſanctis omnibus ſuoque quique ordine.

115. Quod vero duo illi teſtes & prophetæ apocalyptici ſint revera Moſes & Elias, tacite iſtis verbis ſignificatur, habuiſſe eos poteſtatem pluviam conhibendi, ne plueret ſuper terram, & aquas in ſanguinem convertendi, quæ duo olim eisdem prophetis imputabantur. Moſes enim aquas in ſanguinem convertebat, & Elias poteſtatem in pluviam habebat. Quando igitur illi Prophetæ venient in mundum, iſta ſigna & miracula etiam literaliter intellecta efficient.

116. Et Moſen quidem non fuiſſe millenio ſuper terram poſiturum clare figurari videbatur ex eo, quod in terram promiſſam non eſſet ingreſſurus, ſed moriendum ei fuerat in terra Moab, de quo tamen, cum moreretur, dictum eſt, oculum ejus non fuiſſe obſcuratum, nec vigoremejus naturalem fuiſſe infirmatum. Etiamſi autem videbatur Moſes excluſus fuiſſe a DEO ab ingrediendo terram promiſſam, quia inconſulto loquutus eſt ad aquas Meribah, & ideo ſic quaſi caſtigatus eſt, DEUS tamen pro ſua infinita bonitate & clementia iſtam caſtigationem in majorem benedictionem & gratiam illi tranſferebat.

117. Denique quod attinet ad ipſum Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, illi certe terram iſtam promiſſam vix poſſidebant,

bant, ſed tanquam itinerarii & peregrini in ea aliquantulum verſabantur, nam ſemini eorum magis promittebatur terra illa, quam ipſis iſtis patribus vide Deut. 34, 4. quod ipſum quoque figura erat hujus myſterii; utique nec Abrahamum, nec Iſaacum, nec Jacobum poſiturum fuiſſe millenio ſuper terram, ſed durante millenio ſimul eſſent manſuri in cœlo.

118. Reſtat nunc ut prophetias quaſdam & promiſſiones, aliaque Sancti Spiritus teſtimonia ex ipſis ſcripturis proferamus, quibus probari poſſit, ſanctos omnes beata ſimul & ſanctiſſima vita adhuc ſuper terra (nempe in millenio futuro) poſituros, illis tribus extraordinariis viris exceptis, qui vice illius prœmii in terra dignius & excellentius prœmium habent in cœlo. Loca autem ſcripturæ & Veteris & Novi Teſtamenti ſunt ſequentia: Exod. 20, 12. Honora patrem tuum & matrem tuam ut prolongentur dies tui ſuper terram, quam DEUS tuus dabit tibi. Quam promiſſionem Paulus Euangelio applicat Eph. 6. 2. Num. 14. 21. Implebitur gloria יְהוָה tota terra. Deut. 32. 39. Videte nunc me, me ipſum eſſe & nullum eſſe DEUM mecum, me morte afficere & vitæ reſtituere, frangere me & ſanare. &c. & v. 43. Cantate gentes & populus ejus, nam ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcitur, & ultionem reddit hoſtibus ſuis ac terram ſuam populumque

ſuum expiat. Porro apud Samuelem lib. 2. cap. 23. verſ. 3. 4. 5. 6. 7. clara habetur prophetia de regno Chriſti futuro in fine mundi & deſtructione regni impiorum. Quin & Hiobus etiam ſuam fidem teſtatus eſt, quod ſperaret ſe tandem, in poſtrema die excitandum, ut denuo viveret in carne. Cap. 19. 25. Idem etiam affirmavit ſed nudum ingreſſurum in ventrem matris, ſicut nudus egreſſus eſt cap. 1. 21. Pſalmorum vero liber multas habet clariſſimas prophetias de hoc regno Chriſti ante finem mundi videantur Pſalm 1, 3. 4. 5. Pſal. 2, 8. 9. Pſal. 8. Pſal. 37. 29. Pſal. 45, 14. 15. 16. 17. Pſal. 46, 9. 10. 11. 12. Pſal. 68, 14. 31. 32. 23. Pſal. 72. 3. 4. 5. 6. Pſal. 90, 13. 14. 15. 16. 17. Pſal. 110. Jeſchaia fere totus eſt in felici hoc ſæculo deſcribendo, omnesque fere prophetæ de eodem abunde teſtantur: Loca autem Jeſ. videantur ſeq. Cap. 2. v. 10. ad verſ. 22. Cap, 4. v. 2. 3. C. 6, v. 13. Cap. 11. à v. 4. ad 9. Cap. 12. C. 23. v. 21. 22. 23. C. 24. C. 25. a v. 8. ad 12. C. 26. v. 1. Cap. 27. a. v. 13. ad 23. C. 51. 11. C. 52. C. 54. C. 58 v. 14. C. 60. 61. 62. 65 a. v. 17. ad finem Cap. 66.

Jeremiæ autem loca videantur C. 12. v. 15. C. 30. v. 17. 18. 19. &c. C. 46. v. 27.

Eze-

Ezechiel Cap. 36. 37. 47. 48.

Daniel Cap. 7. v. 13. 14. 27. C. 8. v. 14. C. 12. v. 2. 13. 14.

Hos. Cap. 6. v. 2. C. 13. v. 14. C. 14. v. 7.

Joel. Cap. 3. v. 15. 16, 17.

Amos Cap. 9. v. 11. ad 15. Obad. v. 17. ad finem; Mic. C. 4. C. 5. C. 7. v. 20. Nah. C. 1. v. 15. Hab. C, 2. v. 4. Zeph. C. 3, a v. 8 ad finem. Hag. C. 2. v. 21. 22. 23. Zach. C. 12. v. 8. C. 14. v. 9. Malach. C. 4. v. 1. 2. 3. 5.

Quorum tamen locorum nonnulla impletionem habuerunt & jam habent, secundum aliquem gradum & primitias; totalis autem impletio horum omnium ad millenium pertinet.

Loca autem N. T. videantur seqq. Matth. C. 15. v. 5. C. 19. a v. 28 ad 30. Marc. C. 10. v. 29. 30. Verba cum persecutionibus transferenda sunt cum sequentibus. Luc. C. 18. v. 30. Actor. C. 3, v. 21. Rom. C. 13. v. 11. 12. 1. Cor. 15, a. v. 42, ad. 52. 1. Thes. 5. v. 15. 16. 17. Hebr. C. 4. v. 9. 10. 11. 2. Pet. 3. v. 13. Jud. v. 14. Apocal. C. 11. a v. 15. ad 19. C. 20, v. 4. 5. 6. 7. C. 21. v. 1. 2. 3.

119. Septem istæ Ecclesiæ Asiaticæ, quibus Johannes in Apocalypsi scribit, Ec-

clesiæ universalis septem intervalla a morte & resurrectione Christi ad finem mundi, quam certissime designant. Philadelphiæ autem intervallum [cujus semina non tantum, sed & primitiæ jam sunt in mundo] incipit ab anno 1702 & continuatur ad annum 1777 a nativitate Christi, quando millenium exordietur. Promissio enim novæ Hierosolymæ introducendæ in terram, Ecclesiæ Philadelphiæ specialiter exhibetur. Transacto fere denique millenio, sequitur intervallum Ecclesiæ Laodiceæ, Ecclesia autem hæc non pertinebit ad Sanctos novæ Hierosolymæ sed alius ordinis & generis erunt, qui professionem Christianæ Religionis habebunt, sed absque sinceritate, quia vero invitantur a DEO ad resipiscentiam, ideo possibile est, ut resipiscant, nec tamen propter hoc millenii felicitate aut resurrectione justorum in hoc mundo gaudebunt, sed salus & felicitas eorum in proxime sequentem mundum differetur. Qui vero non resipiscent, cum aliis impiis in ignem gehennæ mittendi sunt, ubi pœnas luent tremendas & inexplicabiles in sæcula sæculorum, hoc est ad spatium saltem 7000 annorum, illi enim sunt, quorum peccata, dicente Christo, non remittentur neque in hoc mundo, neque in futuro.

ANNOTATA *quædam addenda.*

1. Quod numerus bestiæ Apoc. 13. dicatur

tur esse 666 & numerus hominis appellatur, valde hoc superius dictis convenit Facies enim unaquæque numerum continet annorum 333 & quia secunda facies est hominis ideò numerus (666) est numerus hominis, continens annos nimirum 666 ab anno nativit. Christi 1036 ad annum 1702 nam circa annum istum prædictum 1036 bestia illa secunda [cujus numerus hic supputatur] ascendebat ex terra, tempore scil. Gregorii septimi, qui super Imperatorem se evehebat.

2. Quia uniuscujusque sigilli intervallum (excepto septimo) 333 annos continet, patet inde, quod a morte & resurrectione Christi ad millenii primam partem sunt anni circa 2000. & ideo a morte & resurrectione Christi ad finem mundi sunt anni circa 3000. quod chronologiam prædictam confirmat; Eandem quoque confirmant tubarum intervalla.

3. Quod autem uniuscujusque tubæ intervallum sit 260 annorum, mysterio non carere videtur, nam totidem quasi dies fœtus commoratur in utero matris, apud Esdram vero cubicula animarum assimilantur utero mulieris, quia ergo exactis 260 annis, anima denuo in vitam corporis carnalis revocatur, veluti tuba sonante ipsius DEI, ideo intervallum tubæ cujusque est 260 annorum, quibus si addantur anni 73 pro ætate hominis in corpore carnali habentur anni prædicti 333.

4. Porro ex magna DEI bonitate & sapientia factum est, ut homines non simul & semel integros mille annos viverent in corpore carnali in hoc statu corrupto, ex justitia autem DEI fit, ut eosdem mille annos per partes viverent, frequenti enim morte humana melius humano generi providetur, eorumque bono consulitur, sic enim DEUS homines aliquoties detruncat, ut eos quasi de novo inserat, ut tandem meliorem fructum ferant. Quod si homines simul & semel viverent mille annos in statu corrupto, adeo degenerarent, ut multo difficilius salvari potuerint, aut in poenitentiam adduci.

5. Si quis autem quærat, ad quid DEUS Sanctos suos in vitam revocet in corpore terrestri & carnali, ut vivant mille annos, an non melius eis esset & desiderabilius, ut manerent cum DEO in coelis, Respondeo, DEUM melius scire, quid majori nostro commodo conferat atque nos. Ideo autem Sancti in terra vivere debent mille annos super terram, partim ut mercedem habeant conspicuam a DEO etiam coram oculis impiorum ad majorem istorum impiorum pudorem, confusionem & condemnationem, partim vero idque præcipue, ut in illo vitæ millenio præparentur ad tantam gloriam obtinendam, quando etiam corporaliter ascendent in Coelum.

QUÆSTIONES

Aliquot in

APOCALYPSIN.

QUÆSTIONES
Aliquot explicatoriæ in ſingulis
APOCALYPSEOS JOHANNIS
Capitibus,

In quibus vel parum, vel ferè nihil (excipiendo quod ad Hiſtoriam attinet) poſitive concluditur, omnia verò libero, & æquo veritatis amatorum examini & judicio relinquantur.

CAPUT I.

1. QUæſtio quid intelligere habemus per ſeptem Aſiæ *Eccleſias ad quas Johannes ſcripſit? An ſeptem particulares Eccleſias tum exiſtentes? An potius ſeptem ſtatus Eccleſiæ univerſalis à tempore Reſurrectionis Chriſti Salvatoris noſtri ad præclarum illud tempus reſtitutionis omnium, in multis Scripturæ locis Sabbathum appellatum, & in Veteri Teſtamento, ſub communi in dierum & annorum Sabbato præfiguratum? Quod ſi Johannes particulares Eccleſias tum

* Eccleſiæ deſignant 7 ſtatus Eccleſiæ Univerſalis.

tum existentes significasset, quare numero septenario se astrinxit? Fuerunt ne in Asia plures septem Ecclesiis? Deinde, quod ad illas scribebat ab eo Prophetia appellata est, quæ ad tempus futurum respicit, quin & indicia ecclesiis istis singulis data, non tam particularibus quibusvis Ecclesiis, tum existentibus, quam universali ecclesiæ per septem statuum & intervallorum tempora bis mille annos complectentia convenire videntur. Numerus autem septenarius, quia mysticus est, annon ad mysterium septem Spirituum, stellarum, sive Angelorum adaptatus esse videtur?

Quæstio. 2. Qui sunt intelligendi septem illi Angeli septem ecclesiarum? An Pastores vel præsides Ecclesiarum, an etiam Angeli proprie dicti, proprias suas & distinctas habentes administrationes super istas ecclesias? Patet enim ex Daniele & aliis scripturæ locis regnis & gentibus tanquam Dei vicarios esse propositos. Quidni ergo & ecclesiis? Quum *Spiritus* dicantur *administrantes, ad hæredes Salutis procurandos emissi* Heb. 1. 14. Quod verò dictum sit (Heb. 2. 5.) *nondum esse Angelis subjectum mundum Venturum* annon hoc innuit mundum præsentem Angelis esse subjectum, mundum autem futurum soli DEO & Christo subjiciendum fore? Quum denique mundi hujus regna suas habeant periodos temporum, & secula, Ecclesia

ſuas habeat periodos & ſecula : Quidni & Angeli peculiares eccleſiæ ſeculis peculiaribus præſidere intelligantur, a DEO nempe ſummo illo Rege & præpoſito ad hoc munus ordinati?

CAPUT II.

QUæſtio 3. Annon intervallum † Eccleſiæ Epheſinæ (ex prædicta Hypotheſi) continebit 333$\frac{1}{3}$ annos a Reſurrectione Chriſti, & ſimiliter intervallum Eccleſiæ Smyrnenſis annos totidem, idemque intellige de reliquis, exceptâ Laodicenſi, de qua quæri poſſet: annon ad intervallum Eccleſiæ Phiadelphianæ pertineat? Philadelphia enim ratione ſtatus ſui præclare a Johanne deſcripti ad mundi Sabbatum pertinget. Annon ergo Eccleſia Loadicenſis, idem cum illâ temporis intervallum habebit, etiamſi non eadem erit cum illâ Eccleſia ſed longe diverſa? Qui vero per Laodicenſem Eccleſiam ſunt intelligendi, niſi tepidi quidam profeſſores Chriſtianæ Religionis, magnam veritatis notionem & profeſſionem habentes, nihil autem fere veritatis, vitæ & virtutis poſſidentes? Annon enim & hoc in ipſis vocibus Philadelphiæ & Laodiceæ clare apparet? Philadelphia quippe fratrum Amo-

* Eccleſia Epheſina ab Ao. 1. ad An. 33$\frac{1}{3}$ a tempore reſurrectionis Chriſti.

amorem, Christianas quaslibet Virtutes complectentem, significat, Laodicea vero popularem justitiam, quæ plerumq fere nulla est. Porro hac ratione universum bis mille annorum intervallum, in sex partes æquales distribuetur, quarum quæque 333 annos & $\frac{1}{3}$ unius anni continebit. Annon vero rationi magis consentaneum est, ut intervalla illa Ecclesiarum æqualiter dividantur, si modo historici Ecclesiarum istarum eventus æqualibus istis intervallis melius, quam aliis ullis inæqualibus congruant?

Quæstio 4. Septem Ecclesiarum Nomina annon innuunt istarum Ecclesiarum proprietates quasdam & indicia? Vox denique sive Nomen illud Asia, an partem istam mundi communiter sic dictam significabit, vel potius universum orbem terrarum, sive mundum aspectabilem, qui a viris quibusdam doctis, Asia appellatur, a radice Hebraica *Gnasa*, i. e. *fecit*, prout a mundis illis superioribus *Jezirah*, Briah, Aziluth, sic dictis, distinguatur, quæ voces omnium horum mundorum in scriptura habentur?

Quæstio. 5. Nomen & Character, sive indicium (*a*) Ecclesiæ Ephesinæ, annon apte convenit statui Ecclesiæ a tempore Resurrectionis Christi ejusque ascensionis ad annum 333, qui annus est a nati-

vitate

(a) Ecclesia Ephesina.

vitate Chriſti 366 (*a*)? Vox enim *Epheſus* a quibusdam latine redditur *deſiderabilis*, ſeu *amabilis*, & ſane talis fuit Eccleſia primitiva a diebus Apoſtolorum. Vel ut ab aliis redditur *remittens*, *relaxatus*, prout a ſpiritu Dei in Johanne loquentis increpatur, quod *primum ſuum amorem reliquerit*. Cito enim poſt dies Apoſtolorum *multorum amor deſerbuit*, in multis tamen iſta Eccleſia *laudata eſt*, ut *in operibus ſuis, labore, patientia*, & *non tollerando malos, eosque, qui ſe Apoſtolos eſſe jactabant, ſed qui non eſſent probando.*

Quæſtio 6. Fuitne autem comminatio illa contra eam a Domino lata, quod *niſi mature reſipiſcat fore, ut ipſe Dominus cito veniret & candelabrum ejus removeret, in ſequente* intervallo annorum $333\frac{1}{3}$ clare impleta? nam in quam multis locis, ubi Chriſtianiſmus antea florebat, in proximo & ſequentibus intervallis vix ulla viſibilis profeſſio iſtius apparebat: Nam eosdem locos ubi antea Chriſtiana Religio vigebat, occupabant fætidus Ethniciſmus & Mahumetismus.

Quæſtio 7. Nomen & Character, ſive indicium Eccleſiæ (*b*) Smrynenſis, annon apte convenit ſtatui Eccleſiæ ab anno $333\frac{1}{3}$ poſt reſurrectionem Chriſti ad annum (*c*) $666\frac{2}{3}$? Smyrna autem latine myrrham

(a) Anno 366. (b) Smyrnenſis.
(c) Anno 700. a Co. No.

rham significat. Et profectò parvus fidelium numerus, præ multitudine impurorum & falsorum Christianorum, qui in sequente hoc intervallo scatebat, instar manipuli (ut sic loquar) myrrhæ fuerat, tum suam retinens puritatem, tum aliis purificandis inserviens, & a summa impuritate, & corruptione eos custodiens. Quamvis autem status hujus Ecclesiæ in seculum pessimum, & corruptissimum habito ad prius illud respectu, incidebat, ipsa tamen Ecclesia in re nulla culpatur, sed *in operibus suis* laudatur, *divesque*, non obstante paupertate, & tribulatione suâ, esse prædicatur. Dominus porrò fortiter eam consolatur, *ad sustinendas passiones*, quas subituras habebat, eique prædicit *decem suos tribulationis dies quos ferret*, quodque *Satanas quosdam eorum in carcerem conjiceret*. Et hic quoque falsa ecclesia quæ insecundo hoc intervallo exorta est, plane dipingitur a Domino, dicente; *Novi blasphemiam eorum, qui Judæos se esse dicuntur, sed non sunt, verum de Satanæ synagogâ.*

Quæstio 8. Quî sunt intelligendi decem illi dies tribulationis, quos sustinere habebat ecclesia hæc? An decem sunt dies naturales, aut vulgares, vel an potius decem quædam tempora, vel dies persecutionum? Tempus enim persecutionis, vulgo dies appellatur, in quo oritur Sol ille persecutorum exurens. Qui denique fuerunt

de-

(*a*) decem illi dies Persecutionum? Communiter quidem decem fuisse persecutiones, quæ vexabant Ecclesiam intra 300 annos post Christi resurrectionem, affirmatur, illæ autem quia plerumque ferè, aliæ post alias tam citò succedebant, fit, ut una potius continuata persecutio, quam decem appellari mereantur. In hoc vero intervallo secundo, nempe ab anno $33\frac{3}{4}$ ad $66\frac{6}{7}$ post Christi resurrectionem ecclesia lucida quædam intervalla habebat, & tempora respirandi ad pacem & otium, idque sub tutela & præsidio paucorum quorundam piorum Imperatorum & Regum, quales fuerunt Theodosius uterque, & alii. Multas tamen & acres persecutiones hæc eadem ecclesia in hoc intervallo secundo sustinebat, partim quidem ab Ethnicis Regibus, partim denique ab Imperatoribus Arriana & Eutychiana hæresi infectis. Hoc demum plurimum ponderis afflictioni ejus addebat, quod etiam a Christianis, sic dictis, persecutionem pati longe graviorem sit coacta, dum persecutiones in priore intervallo ab Ethnicis tantum factæ sint.

Porro siquis legere velit, aut hactenus legit, intervalli hujus Ecclesiastici historiam speciatim Lucam Osiandrum, aut Alstedium, aut alium quemvis veterum Historiæ Scriptorem, decem satis magnas persecutiones Ecclesiæ vere obtigisse, in hoc

(a) 10 Persecutiones, quasi una continuata.

hoc intervallo comperiet. Quod si aliæ plures inveniantur, quibusdam particularibus locis, aut personis accidisse, ad decem illas prædictas reduci possint, quo numerus decem sit perfectior.

Quæstio 9. Nomen & Character (*a*) Pergamensis Ecclesiæ annon satis apposité Ecclesiæ (b) intervallo nimirum tertio ab anno 66$\frac{5}{7}$ post Christi resurrectionem, ad annum millesimum consentire videtur? Sicut enim Pergamus primaria fuit Asiæ civitas excelsis turribus, amplisque ædificiis abundans; ita in hoc tertio intervallo, visibilis Ecclesiæ forma, seu facies, sub pace externa admodum excelsa videbatur, Papæque Romani valde superbi & ambitiosi facti sunt, quin & ipsorum authoritati resistere capitale fuerat tum temporis crimen, & quidam etiam ob illud ipsum morte plectebantur. In eodem quoque intervallo varii Papæ magi fuerunt & Necromantici, & ideo bene dici potuerit, quod tum *Satanas sedem suam Romæ posuerit*, sive in Romana Ecclesia, per Ecclesiam Pergamensem significata, ubi *Antipas occidebatur*: sub figura autem Antipæ annon universus ille fidelium Dei Testium numerus comprehenditur, qui sive in hoc, sive in aliis sequentibus intervallis, quod Paparum Antichristianæ tyrannidi & ambitioni ob-

viam

(a) Pergamensis. (b) Ab Ao. 700 ad Annum. 1666.

viam irent, morte opprimebantur, prout vox illa *Antipas* plane innuere videtur.

Quæstio 10. Idololatria & spiritualis fornicatio istius tertii intervalli, in quo Imaginum adoratio, & Sanctorum cultus a Papis Romanis stabiliebantur, speciatim vero a Concilio Nicæno Secundo, annon clare fuerunt prædictæ in verbis illis ad Ecclesiam hanc Pergamensem prolatis Cap, 2 v. 14. *Habes ibi tenentes doctrinam Balaami qui Balaacum docebat populo Israëlitico offendiculum ponere, ut Idolothyta commederent, & fornicationem facerent, ita habes eos, qui doctrinam Nicolaitarum amplectuntur, quod odi?* Et certe intra hoc intervallum, non tantum fornicatio spiritualis Idololatriæ & superstitionis, sed carnalis quoque sive corporalis apud Papas & Sacerdotes Romanæ Ecclesiæ matrimonio eis tum interdicto, plurimum abundabit.

Quæstio 11. Quare in hoc intervallo vincentibus, promittebatur *manna illud absconditum*, nisi ad statum Ecclesiæ quæ tum in eremum, sive locum solitarium fugisset designandum? Sicut enim in externo eremo DEUS olim populum Israëliticum manna cælesti pascebat mediis externi panis providendi deficientibus, ita populum suum fidelem, intra hoc tertium intervallum, DEUS manna suo abscondito pascere promittit, quod est *Verbum suum vitæ*, in cordibus eorum, largius eis commu-

municandum; dum populus hic fideles Christi ministros, audiendi copiam non habuerit. Porrò quare in primo intervallo *Vincentibus promittebatur ejus de fructu arboris vitæ, in medio Paradisi*, nisi quia in eo primo intervallo regnum DEI apertè, & clarè patefiebat, instar Paradisi Cœlestis, Ecclesia quoque Dei, in eo primo intervallo instar prædicti Paradisi florebat, in cujus medio Christus, illa vitæ arbor, in cordibus scilicet fidelium suavissimos suos, & saluberrimos vitæ divinæ fructus producebat. In secundo autem intervallo propter magnam professorum Christianæ Religionis apostasiam, Paradisus ille DEI abscondebatur, quin & hic tamen *Vincentibus promissum erat ut a morte secunda non læderentur*, quod idem est aliis verbis, ac si de fructu arboris vitæ comederent. Ideo vero eis promissum est ut a morte secunda non lædantur, quia certe in hoc intervallo, maxima pars Christianorum sic dictorum, propter apostasiam suam a primæva puritate mortis secundæ pœnam erant subituri.

Quæst. 12. Nomen & Character Ecclesiæ (*a*) Thyatirensis, annon Ecclesia intra quartum intervallum, scilicet ab anno millesimo a Christi Resurrectione ad (*b*) annum millesimum tricesimum & trigesimum tertium apposite convenit? Thyatira autem *Sacrificium*

(a) Thyatira. (b) 133¾ ⅓

ficium laboris exponitur, & quidem hæc Ecclesia propter *opera sua, charitatem, ministerium, fidem & patientiam laudatur,* quoque postrema primis majora essent, quæ certe laus, parvo tantum fidelium numero, in prædicto intervallo conveniebat, qui ut modicum frumenti, in magno paleæ acervo latebat, vel ut aliquantulum auri in multa scoria absconditum. Hujus autem ævi idololatria & superstitio, quæ magis in eo abundant quam prædictis, annon clarè prædicebantur in verbis istis sequentibus, quod viz. *mulierem istam Jezabel dictam, quæ se Prophetissam vocitabat, docere permiserit Ecclesia Thyatirensis, quo quidem servos Dei seduceret ad committendam fornicationem, & ad idolothytis vescendum?* Quid vero per Jezabel mulierem intelligendum est, nisi universum falsorum Doctorum & prædicatorum corpus, qui populum fœdam & abominandam superstitionem & Idololatriam docebant, imaginum scilicet adorationem & Sanctorum cultum, tum Angelorum, tum virorum defunctorum. Porro etiamsi multi in multis locis, contra ista facinora sint contestati, nimis tamen multi conniverunt, eaque permiserunt, imò alios in eis, ob metum sequebantur. Qui vero contra ea sunt testati, manebant tamen in societate, cum illis, qui talia perpetrabant, ad magnam fere partem, neque secessum aut cessatio-

nem ab iis, prout debuissent, faciebant, ideoque ab iis defœdati sunt, & cum eis in peccatis eorum participes facti.

Quæstio 13. Quare *stella matutina & potentia super gentes ad regendum eos in virga ferrea, & confringendum in frustula instar vasis figulini*, *vincentibus* in hoc intervallo quarto *promittitur*, nisi ad significandum quod longa & obscura illa tenebrarum Antichristianarum nex, quæ per mille annos fere terram obumbrasset, ad periodum appropinquaret, nam tres quartæ partes istius noctis, veluti tres vigiliæ erant tum elapsæ, & una tantum quarta pars sive vigilia remanebat ventura. Quemadmodum vero stella matutina in Oriente ante solis ortum apparet, diei adventantis lætum nuncium apportans, ita secundum Dei benedicti promissum fidelibus intra hoc intervallum supra mundana illa, & divina stella matutina data erat, quorum multi prædicebant cum gaudio de die & gloria Domini appropinquante quæ esset revelanda. Quales autem gentium fracturæ in sequente intervallo accidebant, per bella horrenda partim nostrorum temporum historiæ, partimque quæ nostris oculis visa sunt, satis clare demonstrant, pluresque brevi sequentur, quæ quidem gentium fracturæ non sunt gladio alicui carnali, quo fideles uterentur, imputandæ; gladium enim sive potentiam carnalem fideles minime usurpabunt

bunt, potentia autem sive virtus Dei in fidelibus suis sanctis una cum luce sua & vita, quæ tandem se pleno gradu exerent, istas producent, mundumque, sive mundanos confundent, aliosque adversus alios excitabunt. Et inde est quod sæpe majoris, & plenioris divinæ lucis, & cognitionis manifestationem in mundo magna & horrida sequantur bella.

CAPUT III.

QUæstio 14. Nomen sive Character Ecclesiæ (*a*) Sardicensis, annon statui Ecclesiæ in quinto intervallo, nimirum ab anno post Christi resurrectionem $133\frac{1}{3}$ ad annum $166\frac{5}{7}$ optime convenit? Sardis enim lapidem pretiosum carnei coloris significat, per hanc vero annon Ecclesiæ (*b*) Reformatio, quæ circa annum a Christi nato $136\frac{5}{7}$ incipiebat designari possit? Carneus autem lapidis istius color, annon clare nobis exponit quod Ecclesia hæc dicta Reformata, nimium carnis, sive carnalis naturæ intra se haberet quodque magis carnalis, quam spiritualis, ut plurimum extitura esset; magisque in professione veritatis, quam in ejusdem reali possessione fuerit? Et ideo arguitur, *nomen ipsi esse quod vivat, quum tamen mortua sit,*

(a) Sardis quid. (b) ab Anno a Co. No. $136\frac{5}{7}$ ad 1406.

quodque opera ejus coram Deo, non essent perfecta, utcunque pauca quædam nomina habere dicitur, quæ vestimenta sua non defœdarunt, iisque promissum est a Domino ut *cum eo in albo incedant, quia digni sunt.* Aperta autem sive visibilis Ecclesiæ Reformatio incepit circa annum a Christi resurrectione 1333. qui fuit ab Anno nativitatis ejus 1366. Tum enim excitatus erat *Johannes Wiclefus Anglus Oxoniensis* qui prædicaret adversus Ecclesiæ Romanæ corruptelas. Denique circa (*a*) annum 1400. Hunc sequuti sunt, *Johannes Hussius* & *Hieronymus de Praga.* Prædictus autem *Iohannes Wiclefus* Biblia sacra in linguam anglicanam transtulit, multosque libros contra Papam (ut fertur, ducentos) scripsit. Cujus libri postquam in Germaniam pervenissent, multis fuerant instrumenta, divina benedictione speciatim vero *Hussio* & *Hieronymo*, ut magis illuminarentur, cordaque & mentes eorum magis aperirentur ad indagandam veritatem. Quin & circa (*b*) annum 136. *Carolus Quintus Sapiens* appellatus, *Galliæ Rex* authore erat, ut Scripturæ Sacræ in linguam vernaculam converterentur, scripsitque etiam ipse contra *Papas.* Porro *Wiclefum*, *Hussium* & *Hieronymum* doctrinam *Waldensium* restaurasse affirmatur.

Waldenses hi appellati fuerunt a quodam *Waldo Lugduni* in *Gallia* degente, qui popu-

(a) Ao. a Co. No. 1400. (b) Ao. 1364.

pulum docere eisque Scripturas aperire incipiebat, quum tamen *Sacerdos* non esset, nec ordinem aliquem aut externam authoritatem accepisset, sed *laicus* tantum erat, &, quod ad vitæ genus, *mercator*.

Waldenses autem illi circa annum(*a*) 1160 apparebant, quos secuti sunt *Albigenses*, circa *Alpes* degentes, circiter(*b*) annum 1190 eandem cum illis doctrinam profitentes, ideoque *Waldenses* illi & *Albigenses* ad intervallum prius, videlicet, quartum pertinebunt.

Quique apud eos magis sinceri & integri fuissent, per illos *Ecclesiæ Thyatirensis* designari videntur, *quibus stella matutina esset promissa.*

Denique prædictos illos *Hussium* & *Hieronymum* secutus est *Lutherus* circa annum(*c*) 1517, qui contra *Leonis Papæ indulgentias* venales prædicare & docere incipiebat, & paulo post contra alia multa in *Romana Religione* & *Ecclesia* disputavit: hunc vero & comitati & sequuti sunt alii multi, suo quique ordine, cum majori lucis & veritatis evidentia & autoritate, quorum vera testimonia (non obstantibus quibusdam erroribus, humanitus illis accidentibus) magni sunt facienda, eorumque præcipue, qui propter veritatis amorem, in *Anglia*, *Scotia*, *Gallia*, *Germania* &c. & aliis in locis occisi & marty-

(a) Anno 1160 (b) 1150. (c) Anno 1517.

rio donati sunt, intra prædictum intervallum.

Quæstio 15. Nomen sive Character (*a*) *Ecclesiæ Philadelphianæ* annon statui Ecclesiæ conveniet proximè adventuro in sexto intervallo ab anno nimirum 166⅔ post *Christi* resurrectionem, ad annum 2000, sive ab anno a *Christo* nato (*b*) 1700, ad annum 2034.

Nomen autem (*c*) [*Philadelphia*] fratrum amorem significat, Christianas quascunque virtutes complectens. Porro etiamsi verus amor fraternus in omnibus priorum seculorum sinceris & fidelibus *Christianis* extiterat, annon tamen hujus intervalli *Christiani*, aliis istis præstabunt in virtute hac amoris fraterni? Et ideo nomen *Philadelphiæ* καθ' ἐξοχὴν præ aliis accipient? Quæ certe *Ecclesia* in nihilo arguitur, sed *propter opera sua laudatur, nempe propter patientiam & fidelitatem, maximeque dantur eidem promissiones, ostium quoque illi patefactum est quod nemo possit claudere:* Hoc autem annon clare significat corda multorum aperienda fore ubivis gentium, ad recipiendum *Ecclesiæ* hujus testimonium, sic, ut intra hoc intervallum, magna multarum animarum cum *Iudæorum*, tum *Gentilium*, ad veram *Christi* fidem conversio sit expectanda?

Quæstio 16. Quamvis *Ecclesiæ Philadelphianæ* intervallum nondum adhuc stricte in-

(a) Ecclesia Philadelphensis. (b) 1700 ad 2034.
(c) Philadelphia quid significet.

inceptum sit, annon tamen semina istius jamdudum sata sunt & exorta? quemadmodum semina *Ecclesiæ Sardicensis* sata fuerunt & præparata intra *Thyatirensis Ecclesiæ* intervallum, quod immediate præcedebat. Quæ vero sunt illæ hodie inter omnes *Religionis Christianæ* professiones & *sectæ*, apud quas *Ecclesiæ Philadelphianæ* semina maxime apparent?

Quæstio 17. Annon felicissimum istud mille annorum seculum, intra *Ecclesiæ* hujus intervallum incipiet? Quod sane clare satis innui videtur in promisso vincentibus in hoc intervallo annexo, quod nempe *Deus in eos nomen Dei, nomenque Civitatis Dei, novæ Hierosolymæ quæ a Cœlo descensura est, inscribet?* Et ideo, prout ante dictum est, annon *Ecclesiæ Laodicensis* status ecclesiæ huic contemporaneus est, incidensque in idem temporis intervallum? unâ veros *Christi* tum *possessores* tum *professorce* designante, altera vero nudos tantum & *nominetenus professores.*

Quæstio 18. Porro (*a*) annon sane plurimum falluntur, qui putant *Laodiceæ ecclesiæ* statum degenerantem post mille annos elapsos indigitare? Quum clare ex Scripturâ liquet, postquam semel *Ecclesia* vere ex *apostasia* sit restituta, quod nunquam amplius in apostasiam aut defectionem a veritate casura sit. Et deinde eadem promissio vere

(a) Ecclesia Laodicensis.

pœnitentibus, & zelo amoris divini accensis, in *Ecclesia Loadicensi* data est, qualis illis *Ecclesiæ Philadelphianæ* data fuerat, *fore* nimirum ut *vincentes* etiam in *Ecclesia Laodicena*, *discumberent cum Christo super thronum ejus*, quod felicitati fidelibus omnibus in millenio promissæ prorsus æquivalet.

CAPUT IV.

QUæstio. 19. Quid per (*a*) *Thronum visum a Iohanne*, *in cælo positum* intelligere habemus? Annon locum aut sedem Dei in cordibus fidelium super terram degentium? Quod vero Cœlo positus sit, annon exinde significatur, quod sit immobilis, adeo ut nulla hominum, aut diabolorum vis eum unquam movere, aut concutere possit?

Quæstio. 20. Quales sunt illæ (*a*) 7 *Lampades ante Thronum ardentes, quæ septem Dei spiritus esse dicuntur*, annon 7 quasi effluvia sive *emanationes* sunt, unius *Dei Spiritus?* Quod vero quidam decem emanationes enumerent, Johannes vero tantum 7, an ideo est quia 10 ad 7 reduci possint, sicut & hæ ad tres & tres ad unam? Vel etiam quia 3 saltem ex 10 istis a mundi primordio ad illud tempus virtutem suam plenius demonstrassent, a *Christo* autem ad *Millenium* futurum, aliæ septem

(a) Thronus in Cœlo quid. (b) Septem lampades quid.

ſeptem ſe eſſent plenius demonſtraturæ, in millenio vero omnes decem virtutes ſuas, & divitias pleniſſime ſunt demonſtraturæ?

Porro nomina horum Decem *Emanationum* Hebraice & Latine hujusmodi ſunt. 1. Kether, *Corona.* 2. Chochma, *Sapientia.* 3. Binah, *Prudentia.* 4. Gedulah, *Magnificentia*, 5. Geburah, *Fortitudo.* 6. Tiphereth, *Pulchritudo.* 7. Nezah, *Victoria* 8 Hod. *Gloria.* 9. Jeſod, *Fundamentum.* 10. Malcuth, *Regnum.* Cum vero ad Malcuth perventum ſit, ſecundum virorum quorundam Myſticorum ſententiam, beatiſſimum illud millenii ſeculum exordietur. Pleraque vero nominum iſtorum hebraicorum ſcripta habentur 1. Chron. 29. 11. Et alia in aliis Scripturæ locis.

Quæſtio. 21. Quodnam eſt illud (a) *Mare vitreum Criſtallo ſimile, quod ante Thronum exiſtebat*, annon eſt abundantia ſpiritus, ut in eo animæ fidelium ſe lavent, deque eodem abunde bibant, & reficiantur? *Aqua* enim iſtius *maris ſalſa non eſt*, ſed *dulcis*, aqua nimirum dulcis vitæ æternæ. Hujus autem mare illud in Templum Salomonis poſitum Typusne fuerat?

Quæſtio 22. Quæ ſunt 4 *illa* (b) *animalia & viginti quatuor ſeniores circa Thronum?*

(a) Mare Vitreum quid. (b) Quatuor animalia, & 24 Seniores quid.

num? an certe *Angelorum* ordines, ut quidam opinantur? Vel annon potius ipsa *Dei Ecclesia*, sive numerus fidelium *Deo* per *Christum* redemptorum, ut Cap. 5. v. 9. apparet, ubi habetur, *& seniores, & animalia canticum novum Deo cantasse, dicendo, Redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu; & lingua, & gente, & populo.*

Quæstio 23. Quid per (a) *multos istorum Animalium oculos* intelligere debemus? annon multi varium fidelium intellectum, & sapientiam, in rebus Spiritualibus? Quod vero isti oculi dicantur esse *tum intus, tum circa, sive in circuitu*, annon per hoc significatur, animalia ista non tantum quam intimam sui cognitionem habere, sed magna quoque discretione & judicio imbuta fuisse, quo quid in quolibet casu, & rerum eventu faciendum sit, clare intelligant? Quid denique (b) 6 *illorum alæ* significant? An tot virtutes divinas & Cœlestes? quibus expedite & alacriter ascendere ad Deum potuerint, prompteque divinam voluntatem, quasi volando exequantur? Quare denique cum olim videlicet sub lege 4 alas, post, sub Euangelio, 6 habere dicuntur? An propter majorem gratiam postea communicatam, sub Euangelio?

Quæstio 24. Quæ sint (c) *facies illæ* anima-

(a) Animalium multi oculi quid. (b) Sex Alæ, quid. (c) Facies quid significent.

malium, quorum singula dicuntur habere *quatuor*, videlicet, *faciem bovis ex sinistra parte, faciem leonis & hominis ex dextra, faciem denique aquilæ?* Annon 4 illæ facies designant animas, aut vitas hominibus, a 4 mundis supradictis derivatas; utique τὸ *Nephesch* ex *Asia* τὸ *Ruach* ex *Iezirah*, τὸ *Nischmah* ex *Briah* τὸ *Chaja* ex *Aziluth?* *Nephesh* autem sive *Psyche* apte significari videtur per *Bovem*, *Ruach*, per *Leonem*, *Nischmah* per *hominem*, *Chaja* denique per *Aquilam*. Quid autem 4 dicuntur, nisi propter 4 illas facies. Porro, quid per (a) *Rotas* 4 istorum 4 animalium intelligendum est? annon quælibet *Rota* sæculi alicujus revolutionem significat? Vox enim Hebræa (b) *Gilgul*, quæ *Rota* Latine redditur, ab Hebræis *Revolutio* transfertur. Porro annon prædicta sæculi revolutio mille annos continebit, qui dies est unus mystice sumtus secundum *Psal.* 90. & 2 *Pet.* 3. Quid enim aliud est *dies* quam revolutio solis, spacio 12 horarum? Quia vero secundum *Psalmum* 90 modo citatum, *mille anni se* quoque *habeant ut vigilia noctis*, quælibet autem *Nox* 4 vigilias continebat, & quælibet vigilia 3 horas, annon ideo tota *Nox* (c) 4000 annos continet, & quælibet hora unam tertiam partem mille annorum i. e. annos (d) 333 $\frac{1}{3}$. An igitur

(a) Rotæ quid. (b) Gilgul.

(c) 4000 / 12 = 333 $\frac{1}{3}$ (d) 1000 / 3 = 333 $\frac{1}{3}$

quatuor *Rotæ*, quatuor mille annos continebit? ut quid autem vigiliæ dicuntur? An quia ſingulis vigiliis unaquæque iſtarum facierum propriis ſuis horis quaſi in vigiliam excitetur?

Quæſtio. 25. Quare numerus (*a*) Seniorum viginti quatuor eſſe dicitur? Annon hic Numerus 12 *Patriarchas* reſpicit, quieſcant *Antiquæ Eccleſiæ* duodecim quaſi commiſſuræ, ſimulque 12 *Apoſtolos*, qui denique *Eccleſiæ Euangelicæ* 12 ſunt commiſſuræ, ad ſignificandum utriusque Eccleſiæ ſub uno capite *Domino Ieſu Chriſto* ſummam unionem? Nam in corpore humano 12 ſunt magnæ (ut ajunt) commiſſuræ, & 70 parvæ, quibus fortaſſis 70 diſcipuli ſub Euangelio reſpondent, & ſeptuaginta animæ domus *Iacob* ſub lege, quæ in *Egyptum* pervenerant, è quibus poſtea, tanta populi multitudo exoriebatur.

CAPUT V.

QUæſtio. 26. Quod per (*b*) *dextram Dei manum intelligendum eſt?* an enim Deus manum dextram & ſiniſtram habet more humano? Quod ſi non habeat, ut certe non habet, quia tamen Scriptura, & hic, & alibi de manu Dei dextra loquitur, annon aliquid hac voce deſignatur, ana-

(a) Seniores. quare 24. (b) Dei dextra quid.

analogia quadam ad hominis dextram? Quo respectu, prædictas emanationes divinas quidam sic distinguunt, ut aliæ ad dextram sint, viz. *Chochma, Gedula, Nezah*, aliæ ad sinistram viz. *Binah Geburah, Hod*, aliæ in medio, ut *Kether, Tiphereth, Iesod, Malcuth*?

Quæstio 27. Quid per (a) *librum sigillis septem sigillatum intelligere habemus, qui in manu sedentis super Thronum existebat?* An cognitionem magnorum eventuum in mundo futurorum a *Christi* ascensione, ad finem mundi quemadmodum aliæ partes sacræ Scripturæ, vel historice, vel prophetice, præteritos omnes magnos eventus ab *Adam* ad *Christum* nobis nunciant?

Quæstio 28. Quare distinguit Johannes (b) 7 *sigilla* eo ordine, ut *sex immediate* invicem sequantur, & sextum ad ipsum mundi *Sabbatum* pertingere videatur; *Septimum* vero alio ordine procedat, ut silentium semihorarium, & (c) 7 tubarum intervalla complectatur? Annon enim studio sive proposito hoc fecit, ut septimum intelligamus sigillum non omnino sequi post alia 6, sed novum ordinem, de novo significari, a Christi ascensione, ad finem mundi, sive bis mille annorum? Annon igitur 6 sigillorum intervalla, prædictum tempus bis mille annorum, in sex æquales partes divident

(a) Liber 7 sigillis sigillatus quod. (b) Septem Sigilla. (c) Septem Tubæ.

dent quarum quæque annos continebit $333\frac{1}{3}$? Et ſic quidem ſex ſigilla eadem temporum intervalla, cum 7 prædictis Eccleſiis denotabunt, & ſynchroniſmum facient? Plerique enim fatentur varios eſſe *Viſionum Synchroniſmos* in hoc libro, iisdem intervallis, diſtinctis viſionibus repræſentatis, quemadmodum 7 illi annonæ deficientis in Egypto anni, duabus viſionibus Regi proponebantur. Quanquam verò iisdem temporum intervallis, viſiones prædictæ incidant, habent tamen varia admodum diverſa ut & alia, admodum valde ſimilia, quod ex ſequentibus patebit?

Quæſtio 29. Quare dixit Johannes, ad cujusvis de 4 primis *ſigillis apertionem*, *ſe audiviſſe unum animalium dicens*, (a) *Veni vide*, niſi ut nobis intelligendum doceat, uniuſcujusque ſigillorum (ſeptimo tantum excepto) intervallum, horæ myſticæ ſpatium complecti, annorum viz. $333\frac{1}{3}$? Quâlibet enim horâ myſticâ, annon aliqua facies animalis in vigiliam excitatur, quæ ideo dicere poſſit (quod vigilet) Veni, Vide?

Quæſtio 30. Si eventus qui eſſent futuri & dudum ſunt in magna parte elapſi a tempore aſcenſionis *Chriſti Domini* ad diem hodiernum, melius reſpondeant intervallis $333\frac{1}{3}$ annorum unicuique ſigillo de primis 6 aſſignatorum, quam aliis quibus-

vis,

(a) Veni, Vide quare.

vis, annon hoc admodum benè probabit istorum intervallorum veritatem?

Quæstio 31. Quid per *album illum* (a) *Equum; & super eum equitantem qui arcum in manu gerebat, triumphantem, & ad triumphandum exeuntem a Johanne ad primi sigilli aperturam, visum* intelligere habemus? (*b*) Annon equitans ille est Dominus noster Jesus Christus? *Equus* autem ille *albus*, annon *Ministros* ejus designat, albus justitiæ & sanctitatis internæ vestimentis indutos, qui Euangelium, i. e. lætum nuncium pacis, hominibus adferunt? (*d*) Arcus verò in manu ejus annon virtutem cœlestis ejus doctrinæ & Evangelii significat? quod certe *Evangelium* primævis istis temporibus, multa millia hominum devicit, & ad *Christi* fidem & obedientiam subegit. Porrò, annon pura hæc & admodum prævalens Euangelii dispensatio, super terram manebat spacio saltem 333⅓ annorum, a *Christi Domini* ascensione, sive (*e*) annorum 366 a nativitate ejus in carne, quod quidem intervallum ultra *Constantinun* & filios ejus, etiam ultra *Julianum Apostatam* & *Jordanum* ad *Valentem* & *Valentinianum* pertingebat, & adhuc quidem puritas & virtus doctrinæ euangelicæ, in mundo prævalebat, litigiis istis circa *Arium* & *sectatores* ejus vanisque superstitionibus

(a) Equus albus quis. (b) Equitans quis. (c) 1 Sigillum. (d) Arcus quid. (e) Ao. a Co. No. 36$\frac{2}{7}$.

nibus & traditionibus vanis apud quosdam nihil obstantibus.

Quæstio 32. Quid per (a) *Equum illum rufum* ad (b) *secundi sigilli aperturam* a Johanne visum intelligere habemus? Annon milites & Duces exercituum magna in mundo & horrenda bella excitantes, ad multi sanguinis effusionem? quis vero est (c) equitans super hunc rufum Equum, nisi magnus quidem *Angelus*, aut *Dæmon*, qui *Dei* permissu homines ad sanguinolenta ista bella excitanda inspiraret? quæ sane bella venerunt, & in eas quidem mundi partes præcipue, ubi Euangelium fuisset prædicatum in justissimas pœnas a *Deo Sanctissimo* hominibus ob contemptum Euangelii immissas. Et quidem illi, qui fideles Dei servos in primo intervallo, propter fidem eorum in *Deum* & *Christum*, multis mortis generibus neci dabant, in secundo intervallo & ipsi alii ab aliis occiduntur cum liberis suis, Deo Patrum iniquitates super liberos, ad tertiam usque & quartam generationem puniente. Porro an non eventus, sive effectus historici plane secundo huic intervallo respondent, ab anno nimirum Resurrectionis (d) *Christi* Domini 333 ad annum 666 sive ab anno nativitatis ejus 366 ad annum 700. Nam intra illud temporis intervallum annon totius occidentis Imperium misere fuerat dilaceratum,

(a) Equus Rufus quid. (b) 2 Sigillum.
(c) Equitans. (d) ab Anno $36\frac{5}{7}$ ad 700 An.

tum, tandemque penitus in eodem intervallo deletum? Quin & ipsa Roma, totius quasi mundi caput, sæpe capta fuit, & aliquibus vicibus, intra idem intervallum incendio data. Præcipua vero Auctores horrendorum istorum bellorum fuere *Gothi*, *Vandali*, *Hunni*, *Persæ*, cum suis Ducibus Regibusque. Tandem circa postremam hujus intervalli partem viz. sexcentis a *Christo Nato* annis elapsis, & quibusdam aliis, *Mahometes* excitatus est, cum suis sectatoribus, qui *Saraceni* tunc temporis dicebantur, & hi quidem bellorum horrendorum, multis in locis auctores fuerunt?

Quæstio 33. Quid vero per *nigrum* (a) *Equum & equitantem super eum, bilancem in manu sua tenentem* ad (*b*) Sigilli tertii aperturam, a Johanne visum, intelligere habemus? An non horrenda fames hic significatur, & ea quidem cum naturalis, sive externa, tum spiritualis, & interna? Et harum certe utraque intra tertium hoc temporis intervallum, ab (*c*) anno nimirum resurrectionis Christi 666 ad annum 1000 plenissime accidebat; prout Historiæ istorum temporum clare probant. Magna enim fuit in hoc intervallo fames Spiritualis, sive panis vitæ & cœlestis defectus. Hujus autem intervalli tempus, idem

(a) Equus niger quid. (b) 3 Sigillum.
(c) Ab 66$_7$ ad 100• a Co. No. 700 ad 1033.

idem eſt, cum eo *Eccleſiæ Pergamenſis* ſupra nominatæ, intra quod Deus *fideles manna abſcondito, ſe aliturum promiſſerat*; *Apoc.* 2. 17. Fuit enim totum illud intervallum ſummis tenebris ignorantiæ plenum paucique viri præclari in eo intervallo florebant. Quod denique ad famen naturalem, ſive externam attinet, eam certe magna & horrenda bella, fere continuo ſequuntur.

Quæſtio 34. Quid per (a) *Equum illum pallidum, & equitantem ſuper eum, cui nomen erat mors, quemque infernus ſequebatur, poteſtatem habentem occidendi gladio, fame, morte, & beſtiis terræ, ſub*(b) *quarti ſigilli apertura, a Iohanne viſum*, intelligere habemus! Annon totam hoc malorum omnium præcedentium congeriem, cum multorum aliorum additione, & incremento ſignificare videtur? quid enim *occiſiones*, cum gladio ſignificant, niſi bella, eſuries famem? *Mors* (equitantis nomen) ipſum *Diabolum*, quem ſequebatur infernus? Quid denique ſignificant *beſtiæ terræ*, niſi impuros illos & fœdos ſpiritus, ſive Demones terreſtres, ignavam plebeculam, ſuis aſtutiis & fraudibus miſere decipientes? In ſacris literis enim Diaboli, & ſpiritus immundi, beſtiæ agri, ſive terræ appellantur, prout in Geneſi dicitur de Serpente, quod *aſtutia callebat ſupra illam beſtiam agri*; quod

(a) Equus pallidus quid. (b) 4 Sigillum.

quod certe de bestiis ordinariis intelligi nequit. Porro annon eventus sive effectus historici, clare huic intervallo respondent (*a*) ab anno nimirum Resurrectionis *Christi* millesimo, ad annum 1333, intra quod tempus, impurissimæ superstitiones, & nefandæ idololatriæ, apud falso sic dictos Christianos abundabant, superbia quoque, avaritia & luxuria Cleri Anti-Christiani, intra hoc intervallum, modum omnem plurimum excedebant, multæ quoque damnabiles opiniones, & hæreses per *Antichristi* Emissarios, *Fratres* dictos, *Monachos*, *Ordines*, & *Scholasticos* prædicatæ fuerant & publicatæ, & a plebe ignava instar oraculorum divinorum acceptæ & creditæ. Quin & (*b*) *locustæ de Abysso egressæ*, de quibus postea suo loco, ad hoc idem temporis intervallum pertinere videntur. Duo autem hæc postrema intervalla, tertium, viz, quartumque propter ignorantiam, cæcitatem, idololatriam, superstitionem, aliaque multa nefanda mala, affinia & cognata sibi invicem plurimum apparent. Non tamen fuit quartum intervallum tam bonis viris destitutum nec tenebris & ignorantia tam plenum, quam tertium erat. In quarto enim intervallo Deus viros quosdam præclaros excitavit, cujusmodi fuerunt *Bernardus Clarevallensis*, & *Malachias*,

(a) Ab Anno 1000 ad 1333 $\frac{1}{4}$ Vel ab 1033 ad 1366.

(b) Locustæ.

ebias, *Waldenses* quoque & *Albigenses*, quibus illi Ecclesiæ *Thyatirensis* respondent.

Quin & in hoc eodem intervallo incepit *Imperium Turcicum*, quum *duces* aut *Caliphæ* ipsorum facti sunt *Imperatores*, mire in quam plurimis terræ locis prævalentes, horum vero primus fuit *Ottomannus* circa annum (*a*) 1297.

Quæstio 35. Qui sunt eventus aut effectus incidentes ad aperturam (*b*) *quinti sigilli*, & quid per eam præcipue significetur? annon *animæ occisorum*, *propter verbum Dei*, & *testimonium*, *quod tenebant*, *quas vidit Iohannes sub altari*, omnes illas animas designant occisorum, propter fortem suam & constantem fidei professionem, a mundi primordio ad tempus istud quinti intervalli, viz. ad annum 333 a *Christi* Resurrectione? quid autem *tam enixe desiderabant Deum ulcisci sanguinem eorum super terræ inhabitatores?* An ideo fuit quia *Iustitia Dei* est glorificata tam in ulciscendo, quam misericordia ejus in miserendo? Sed annon ideo quoque fuerat, quia noverant tempus illud ulciscendi sanguinem piorum occisorum, super impios, conjungendum fore, cum eo tempore, in quo & pii omnes, præmia sua centuplicium, a *Christo* eis, in prima resurrectione, cum de novo in vitam excitarentur, promissorum,

(a) 1297. (b) 5 Sigillum.

ſorum, eſſent accepturi? quâ autem ratione ſtabit cum divina juſtitia, ulciſci ſanguinem occiſorum, a multis retrò ſeculis, non trium tantum aut quatuor generationum (ut Deut.) ſed plusquam centum diu ab hinc lapſorum ſuper terræ incolas, nondum adhuc ſuper terram exiſtentes aut natos, quæſtio eſt explicatione clarâ admodum digna?

Quæſtio 36. Quare dictum erat *animabus illis, ut requieſcant* (Viz. ſub altari, an non vero altare illud *Chriſtus* eſt?) *donec numerus fratrum ſuorum, adhuc occidendorum, eſſet complendus?* Annon hoc ſignificat quintum iſtud intervallum, tempus magnæ, multæque tribulationis, & perſecutionis futurum fuiſſe, ſervis & populo Dei, multosque intra hoc quintum intervallum fere trucidandos (*a*) ab anno viz. reſurrectionis Chriſti 1333 ad annum 1666 ſive ab anno nativitatis ejus 1366 ad annum 1700. Hoc verò annon ita contigit, quod ad tempus hujus intervalli elapſum attinet. Anne probabile eſt tot fere bonos *Chriſtianos* a *Papiſtis* & *Turcis* ab anno 1366, ad diem hodiernum, occiſos fuiſſe (a diebus nempe *Iohannis Wiclefi*) quot olim a *Reſurrectione Chriſti* ad prædictum illud tempus annorum 1366 occidebantur? Quum vero prædicti hujus intervalli ſuperſint, aliqui ad

(a) Ab 1333 ad 1666 Vel ab Ao. 1366 ad Annum 1700.

adhuc anni complendi, ut quibusdam videntur 18, aliis 16, aliis denique 14 ab anno viz 1366 ad annum verum a nativitate Christi 1700. Annon plures ad huc sunt expectandæ tribulationes & persecutiones, servis Dei incidendæ ad annum prædictum 1700?

Quæstio 37. Elapso autem quinto hoc intervallo, cujus jam finis appropinquat, annon lucidum aliquod intervallum tempus requietum ecclesiæ veræ expectandum est? quoad veniat ultima & maxima sed brevissima persecutio, sub (a) capite Bestiæ septimo, nondum adhuc vere complenda, circa annum 1774.

Quæstio 38. Qui sunt effectus sive eventus in mundo complendi sub *sexti Sigilli* apertione, *magnus ille terræ motus, Solis demigratio, lunæque instar sanguinis effectio, stellæ cadentes a cælo, cælorum instar schedulæ involutio, montium & insularum motus, & discessus?* Annon hæc omnia clare significant regiminis cujuscunque Tyrannici injusti & impii casum & finem: ut tandem justitiæ & sanctitatis regnum (*Deo* ipso & *Christo* suo per *Spiritum sanctum* in cordibus hominum regnante) ubivis gentium & terrarum exstruatur, & excitetur? quod ipsum annon plane, ab ipso Johanne verbis sequentibus significatur? Tempus vero hujus intervalli sub sexti sigilli apertura, annon

(a) Caput bestiæ septimum.

non ſpatium illud commune annorum 333 a *Reſurrectione Chriſti*, (*a*) 1666 ad annum 2000, ſive a nativitate ejus 1700 ad annum 2033 continebit, in qvo *Deus* plene ſanguinem ſervorum ſuorum occiſorum ſuper in cœlos terræ ulciſcetur, & ſic *animarum ſub altari clamantium* precationi in priore intervallo reſpondebitur? quod vero quidam (*b*) ſigilli hujus ſexti intervallum, ad tempus *Conſtantini* referunt, ſane nullo jure hoc faciunt, ex multis enim rationis momentis, & rerum circumſtantiis, clariſſimè patet nondum adhuc ſextum ſigillum mundo apertum fuiſſe, nondumque iſtius ſigilli intervallum adhuc incepiſſe?

CAPUT VI.

QUæſtio 39. Annon alii iſli eventus & effectus qui ſub ſexti ſigilli apertura proditurі ſunt plane demonſtrant ſextum illud ſigſllum, ad tempus mundi Sabbatum mille annorum pertingere? Qui enim ſunt illi (*c*) *centum & quadraginta quatuor millia de omni tribu filiorum Iſraël in frontibus ſignatorum*? Annon ſunt *primitiæ ſanctornm* primam a mortuis reſurrectionem in millenio futuro obtinentium; Annon denique & hi 144000, iidem ſunt cum illis

cap.

(a) ab Ao. 1700 ad An. 2033. (b) Sigillum 6 nondum incepit. (c) 144000 qui.

Cap. 14. memoratis? Porro annon revera *Israëlitæ* sunt, quod attinet ad genus suum 12000 ex omni tribu *Israëlis* desumptis, etiamsi multi alii generis Israëlitici, cum aliis Dei servis, eandem primæ resurrectionis sortem, & felicitatem, postea sint accepturi? Quæ denique est (*a*) *magna illa multitudo omnium Gentium, linguarum & populorum, quos nemo diminuere potuit stantium ante Thronum, & agnum, qui & albis vestimentis induebantur, Palmasque in manibus gerebant?* Annon sunt omnes illi sancti, non tantum qui in præcedentibus a Christi resurrectione intervallis vixissent, sed a mundi primordio in vitam de novo excitati intra sextum hoc intervallum, *qui de magna tribulatione* (utpote in vita anteactâ) *venissent, tum vero neque amplius esurient aut sitient, neque Sol aut calor ejus illos attinget: nam Agnus qui est in medio Throni pascet illos, eosque ad vivos aquarum fontes adducet, omnes lachrymas ab oculis eorum absterget Deus?* Pertinet ne autem hic status, ad locum illum *Apoc, Cap.* 21. &. 22? Annon enim idem est utrobique status, & hic & illic descriptus, qui eorum est, post quam sint primum illam *Resurrectionem* Cap. 20, delineatam assecuti?

Quæstio 40. Quare numerus *iste* 148000 *qui sunt* 12000 *de omni tribu Israëlis*, distinguatur *a magna illa multitudine tam Iudæorum,*

(a) Magna multitudo &c.

rum, tam aliarum omnium gentium, qui idem præmii genus sint postea nacturi? An quia illi 14400 (Apoc. 14. 4.) *primitiæ sunt*, qui primum locum in prima illa a mortuis Resurrectione habebunt, postea vero magna electorum Dei multitudo omnium gentium *primitias illas* sequutura est, *suo quique ordine*, prout Deo secundum infinitæ suæ sapientiæ determinationem ordinare placuerit? Annon enim Paulus exerte dicit: *Quemque suo ordine excitandum iri?* Et ideo non omnes simul sunt excitandi, aut in vitam revocandi? Quemadmodum & nunc quoque non simul veniunt homines in mundum, sed ordine alii post alios, secundum generationes suas proprias, Deo quam optimè cognitas?

Quæstio 41. Annon omnes *Dei Sancti* sive *primitiæ illæ* prædictæ, sive reliqui omnes postea sequuturi, intra sextum hoc intervallum ab anno viz. 1660 post Christi resurrectionem, ad annum bis millesimum resurrectionem istam primam a mortuis habebunt? Sic enim omnes Sancti mille annos integros victuri sunt post primam istam suam resurrectionem, super terram ante mundi finem ultimum, universa mundi ætate annos septies mille complectente. Quod si illorum aliqui, post sextum intervallum excitarentur, ultimus ille mundi finis prius veniret, quam seculum istud mille annorum vivendo super terram peregissent,

quod est contra Scripturam. Fuitne hoc vere mysterium sub lege per Sabbatum præfiguratum, quod in vespera sive postrema diei sexti parte incipiebat quodque per *Manna* etiam adumbrabatur, sexto quoque die colligendum, in septimo enim nihil *Manna* istius colligi debuerat?

Quæstio 42. Qui sunt (*a*) *illi* 4 *Angeli quos vidit Johannes super* 4 *terræ cardines, stantes, quibus datum esset terram & mare lædere, quod tamen efficere nequibant, quoad signatus esset numerus ille* 144000? Annon sunt illi Angeli proprie intelligendi, quibus data est a Deo potestas, ut judicia ejus sanctissima super terram exequantur?

Quatuor autem illi (*b*) terræ cardines, an forte 4 mundi partes significabunt, e. g. *Asiam, Europam, Africam*, & *Americam*, quarum quæque suum habeat angelum? Qui sunt *autem illi* (c) 4 *venti sive Spiritus, quos angeli illi* 4 *prædicti restringebant, quorumque restrictione terra esset lædenda?* An per hos ventos, seu Spiritus boni *Angeli* sunt intelligendi, sic ut per 4 priores mali? Et sic quidem, annon apparet, diversas mundi partes *Angelos* suos proprios habere, cum bonos tum malos, eis invigilantes alios contra alios contendentes: bonos quidem, ut beneficiant hominibus malos

(a) 4 Angeli qui? (b) 4 Terræ cardines qui (c) 4 Venti, qui?

malos vero, ut malefaciant, prout autem homines, vel benè, vel male vixerint? An non boni, vel mali *Angeli* eis tanquam præsides immittuntur, & imponuntur?

CAPUT VIII.

QUæstio 43. Quid per (a) *Silentium illud semihorarium est intelligendum? & quid per septem illas tubas, quas septem illi angeli, alii post alios ordine cecinerunt, ad septimi sigilli aperturam?* Porro annon (b) septimum illud sigillum denuo incipiat ad *Christi Resurrectionem?* Alioquin annon septem illæ Væ, & plagæ tubarum, in ipsum mundi Sabbatum, & seculum felicissimum inciderent? Quod est perquam absurdum, & verbis Scripturæ in Apocalypsi contrarium. Cum vero septima (c) *Tuba* mille istos annos introducat, ut clarissime patet ex Apoc. Cap. 11. v. 15.16.17.18.19. annon quæque alia *Tuba* suum habebit distinctum, & æquale temporis intervallum? Quæ septem tubarum septem intervalla, unà cum silentio illo semihorario, simul juncta, annon annos bis mille conficient a resurrectione Christi? Quod si ex optimo computo Chronolog. appareat (d) septimam illam *Tubam* initium sumere ad annum a Christi resurrectione 1740, & ad annum 2000 pertingere,

(a) Silentium semihorarium quid. (b) 7 Sigillum, (c) Tubæ. (d) 7 Tuba.

re, poſt Chriſti reſurrectionem, ſic ut ſpacium 260 annorum complectatur; annon quoque & ſingulæ aliæ ſeptem tubæ, idem ſpacium annorum viz 260 complectentur, & ſic totum tempus ſeptem tubarum annos 1820 continebit, numerus vero reſiduus, ex bis mille annis viz. 180, erit numerus annorum, qui debeatur ſpatio ſilentii ſemihorarii?

260
7
1820
180
2000

Recte autem Johannes dixit, quod *ſpacium illud ſilentii quaſi eſſet ſemihoræ*, non præciſam, ſive juſtam ſemihoram appellavit. Præciſa enim ſive juſta ſemihora myſtica eſt annorum $166\frac{2}{3}$, quia integra hora myſtica eſt annorum $333\frac{1}{3}$ tempus vero hoc annorum 180 præciſam illam ſemihoram exuperat per 14 vulgares annos, qui parvi momenti ſunt, & quædam quaſi minuta, e. g. duo & aliquid amplius.

Quæſtio 44. Annon effectus ſive eventus hiſtorici benè conſentiunt intervallis iſtis prædictis *ſilentii ſemihorarii*, & 7 *tubarum*, ſi enim ſilentio quaſi ſemihorario demus annos 180 a Chriſti reſurrectione, qui ſunt ab ejus nativitate 214 poſſitne totum hoc tempus ſilentii tempus vocari, quod ad ſtatum Eccleſiæ intra ſeipſum attinet, etiamſi magnas quasdam perſecutiones ad extra patiebatur?

180
$33\frac{1}{3}$
A°. C°. N°. $21\frac{3}{4}\frac{1}{3}$

Porro

Porro annon intra hoc tempus *multum thuris cum precibus Sanctorum, per Angelum oblatum fuerat*, sicut Johannes declarabat? Nec obstat quod circa annum 198, bis quædam contentio inter quosdam *Episcopos*, circa tempus *Pascham* celebrandi, excitata esset. Parva enim aut ferè nulla ea fuit, præ magnis illis calamitatibus, ipsam Ecclesiæ medullam postea invadentibus.

Et sane intra spacium ducentorum a *Christo nato* annorum, tempus erat magnæ internæ pacis & quietis apud veros *Christianos*, dum magna persecutione externè premebantur, fueratque in illis diebus, præclarus verò pietatis & devotionis fervor precesque eorum de pectore, per *Spiritum Sanctum* fluebant, testante hoc ipsum *Tertulliano*, qui tum temporis vivebat. Itaque inanes illæ & vitæ multum expertes precandi formulæ, ex libris petitæ & lectæ, nondum adhuc in Ecclesia cognitæ fuerant.

Quæstio 45. Quid per (a) *Grandinem & ignem sanguine commistum, & in terram ad primæ tubæ sonitum immissum*, intelligere habemus? Annon grando & ignis magnas illas lites, & contentiones significant, inter membra Ecclesiæ, intra hoc intervallum exortas? Quæ quidem divinæ, & cœlestis vitæ germina apud *Christianos* plurimum lædebant, sicut, dicente Johanne, *tertia*

(a) Grando & quid.

pars arborum igne eſſet conſumpta, & omne gramen viride combuſtum? Annon vero per (*a*) *Arbores*, fortiores, & quaſi ſolidiores *Chriſtiani*, ſunt intelligendi; per (*b*) *Gramen* vero, infirmiores? Quam bene autem prædicta hæc (*c*) primo ſeptem tubarum intervallo reſpondent ab anno nimirum Chriſti nati (*d*) 214 ad annum 474?

Quam miſerè enim toto hoc tempore affligebatur Eccleſia litigiis & contentionibus multorum *Epiſcoporum*, & *Presbyterorum*, a ſincera *Chriſti* fide errantium? Quales fuerunt *Novatus*, *Sabellius*, *Samoſatenus*, *Manes*, *Arius*, *Donatus*, *Macedonius*, *Apollinaris*, *Pelagius*, *Neſtorius*, *Eutyches*, hi omnes totidem *Sectarum*, & *Hæreſium* præcipui Auctores fuerunt intra hoc intervallum, quorum Hæreſes & opiniones falſas, quibus Eccleſiæ pacem confregerant, nimis longum eſſet hîc recitare. Fuitne autem (*e*) Sanguis igne commiſtus, cum iſtarum ſectarum & hæreſium plurimi alios dictos *Chriſtianos* & fratres ſuos gladio externo occidebant?

Quæſtio 46. Quid per (*f*) *magnum illum* (g) *montem mari injectum intelligere debemus, quo tertia pars maris, intra tubæ ſecundæ intervallum, in ſanguinem converſa fuit*, ab an-

(a) Arbores. (b) Gramen. (c) Tuba prima. (d) 21¾ ad 47¾. (e) Sanguis igne commiſſus. (f) Tuba ſecunda. (g) Mons mari injectus. Tubâ ſecunda ¾ ab Anno. 474. ad Annum 734.

anno viz, 474 ad annum 734? Annon aperte hoc significat multorum a fide *Christiana* defectionem, & *apostasiam*, quæ quasi mons quidam magnus videbatur, qualis sanè tum fuerat *Ecclesia Romana*? Ecce autem, quomodo magnus hic mons, igne invidiæ & malitiæ flagret cadatque in mare, tertiamque ejus partem in sanguinem convertat, quod magnam *Romani Imperii* partem in cædes & bella sanguinolenta involvat, prout quidem ita accidebat: In maxima enim hujus intervalli parte, multum sanguinis effundebatur, ut *Roma* a *Totila* spoliata fuit & combusta, circa (*a*) Annum 550, omnisque *Italia* circa illud tempus a *Gothis* & *Longobardis* miserè fuit devastata, quæ omnia annon pœnæ justissimæ â Deo *Romanæ Ecclesiæ* inflicta sunt, propter *apostasiam*? Quodque se supra alias omnes Ecclesias elevaret, ejusque Ecclesiæ Episcopi supra alios omnes totius mundi Episcopos se eveherent. Hæc vero tam arrogans *Romanorum Episcoporum* supra alios usurpatio citò incipiebat a diebus nimirum *Zozimi*, *Bonifacii primi*, & *Cœlestini primi*, qui istam supra fratres suos evectionem, paulo post quadringentis a *Christo Nato* (*b*) annos sibimet ipsis assumebant, nondum tamen illam obtinuerunt nisi ad annum (*c*) 606. quando *Bonifacius tertius*, primas supra omnes Ecclesias & universalis *Episcopus* auctore

(a) Anno 550. (b) Ao. 407. (c) Ao. 606.

Phoca constitutus sit, *Phocas* autem hic *Dominum* suum & *Imperatorem Mauritium* occidit, ejusque in locum sese post facinus illud subrogavit.

Quæstio 47. Quid per (a) *magnam illam stellam de cœlo in fluvios cadentem aquasque in Absynthium convertentem intra tertiæ tubæ* intervallum, ab anno viz. 734, ad annum 994 intelligere debemus? Annon ulteriorem *Apostasiæ* gradum, *magna stella* de cœlo cadente in fluvios, *Angelum* aliquem malum significante, permissionem a Deo habentem, ad *Doctores*, & *prædicatores* Ecclesiæ *Romanæ*, doctrinis pessimis, & quam maxime noxiis inspirandos, quæ sanæ quidem *Doctrinæ* instar *Absynthii* præ amaritudine fuerunt? Quod quidem annon clarè eveniebat, quando *Episcopi* & *Doctores* Ecclesiæ *Romanæ Papæ* supra omnes alios *Episcopos* primatum & *Imperium* enixè prædicabant, simulque magnam traditionum humanarum multitudinem astruebant, cujusmodi sunt, quod *Missæ pro mortuis sint dicendæ*. Quod *homines ad monasticam vitam voto sive Iuramento sint astringendi*. *Quod matrimonia a Sacerdotibus non sint contrahenda* aliaque ejus generis multa. Quin & intra hoc idem intervallum *Imaginum cultus* a *Papis* & *Episcopis Romanis* plurimum promovebatur, itaque non sine causa tertia

pars

(a) Magna stella in fluvios cadens. Tertia Tuba. ab Ao. 734, ad Annum. 994.

pars aquarum in *absynthium* conversa esse dicatur. Multos quoque mortuos fuisse, quod de aquis istis tam amaris bibissent, affirmatur.

Quidam verò sunt in vita servati, qui non de aquis istis amaris bibebant, sed de pura aqua verbi vitæ æternæ sanæque doctrinæ. Et hi quidem Dei testes fuerunt, in temporibus illis impuris, quales erant *Adelbertus Gallus*, *Clemens* & *Samsonus Scoti*, aliique varii, in variis mundi regnis & provinciis.

Quæstio 48. Quomodo intelligendum est quod *tertia pars solis, lunæ, & stellarum intra* (a) *quartæ tubæ* intervallum, ab anno viz 994 ad annum 1254. percutiebatur? Annon illa significant dignitatem sive *Majestatem Imperatorum, & Regum Christianorum*, intra hoc intervallum, plurimum fore obscurandam? Quod annon planè eveniebat *Papæ Romano* supra quosvis terræ *Imperatores*, *Reges* & *Principes* auctoritatem & potentiam in toto orbe *Christiano* sibi ipsi arrogante, usurpante, & revera obtinente? *Gregorius septimus* [*Hildebrandus* alias dictus] *Henricum* quartum *Imperatorem* excommunicavit & deposuit circa [*b*] annum a *Christo nato* 1073. Circa annum 1100 *Paschalis* secundus desiit numerare tempus per annos *Imperatorum*,

 qua-

(a) Tertia pars Solis in quarta Tuba ab Ao. 994 ad 1254. (b) Anno 1673 1100.

qualis olim mos esset, sed per *Papas* numerabat, e. g. dicendo anno hujus vel illius *Papæ*, pro Anno hujus vel illius *Imperatoris*. *Papa Hadrianus* quartus Hiberniam *Angliæ Regi Henrico secundo* dono dedit, propter quod ipse *Henricus Papæ Tributorius* factus est & unaquæque domus totius regni denarium unum *Papæ* quotannis solvere debuerat. *Alexander Papa* super *Frederici Imperatoris*, [qui *Barbarossa* dicebatur] cervicem pedes posuit. *Innocentius tertius*, *Othonem Imperatorem* constituendum fuisse curavit, & postea eundem excommunicavit. *Iohannes Rex Angliæ* a *Papa* deponebatur, & denique ut a quibusdam affirmatur, per aliquos *Papæ Emissarios* veneno occisus. *Gregorius nonus*, qui circa (*a*) annum 1233 *Papa* erat, duo magna esse lumina dicebat, *Solem*, utique *Papam*, & *Lunam*, utique *Imperatorem*, quo dicto *Fredericus Imperator* tam fuerat vexatus, ut *Antichristum* illum appellaret.

Porro circa (*b*) annum 1245 *Fredericus* ab *Imperio*, *Papæque* auctoritate, depositus est; quæ omnia, cum aliis multis intra hoc intervallum cadentia, annon clarè (*c*) effecta quartæ tubæ nobis exponunt?

Quæstio 49. Quid per *stellam cælitus in terram cadentem intra* (*d*) quintæ tubæ inter- val-

(a) Ao. 1233. (b) Ao. 1245. (c) Effecta quartæ tubæ. (d) Quinta Tuba stella in terram cadens.

vallum, intelligere habemus, *cui data esset clavis Abyssi, postquam vero Abyssus* aperiebatur], fumus exortus est &c. Quid verò per locustas de fumo super terram prodeuntes existimandum est? Annon stella hæc malus aliquis *Angelus* aut *genius* est, cui permissum esset, ut ipsum inferni puteum aperiret, quo magnam spirituum mendacium & fallacium multitudinem solveret, & in mundum mitteret, ad *decipiendos omnes*, qui *sigillum Dei in frontibus suis non haberent?* Annon vero hoc intervallum sive status rerum bene convenit ingenti *Scholasticorum*, ordinumque *Monachorum* multitudini, plurimum intra hoc intervallum abundantium? Ab (a) anno nimirum a Christo nato 1254 ad annum 1514, qui multorum conscientias sentibus & aculeis quæstionnm scholarium quam acerrimè pungerent & vexarent? Tales autem præcipue fuere *Thomas Aquinas*, *Bonaventura*, *Henricus Gandavensis*, *Iohannes Parisiensis*, *Iohannes Dun Scotus*, *Durandus*, *Occamus*, aliique multi qui intra hoc intervallum viverent? Quamvis enim apud hos nonnulla præclarè dicta inveniantur; miserè tamen in multis aliis ab impuris istis spiritibus & *Dæmonibus* decipiebantur? Quare autem *Locustæ istæ facies tanquam humanas* habere dicantur, nisi ad significandum ingenii subtilitatem, quæ iis inesse vi-

(a) Tuba quinta Ao. 1254 1514.

debatur? Quid denique *crines earum, quasi crines mulierum*, indigitant? An suasorium illum modum & rationem, proselitas ad se adducendi? Quod vero *dentes earum, tanquam dentes leonum fuisse videbantur* satis innuit feroces eas fuisse instar Leonum, ad dilacerandos & destruendos quoscunque ab eis dissentientes.

Quæstio 50. Quamobrem dicatur *locustis istis potentiam fuisse datam, quâ non occidant homines, sed aculeorum suorum tormentis eos vexarent?* Annon ex eo significatur, locustas istas non fuisse milites gladio carnali ex se ipsis pugnantes, sed tantum *Ordines quosdam Scholasticorum* & *Monachorum, ac fratrum*, qui perniciosis suis doctrinis, dubiisque quæstionibus & disputationibus, animas & conscientias hominum miserè vexarent, & dilacerarent? Sic ut dicatur fore in istis diebus, quod *homines quærent mortem & non invenient; cupientque mori & mors ab ipsis avolabit.*

Quæstio 51. Quare dicitur *potentiam harum locustarum fuisse ad lædendos homines per spacium* (a) *5 mensium?* An sic alluditur ad tempus moræ earum usitatum? Vel an ad mysterium aliquod porrò intelligendum duraturas nempe fuisse istas locustas $\frac{5}{12}$ partes totius temporis, quo prævaliturum esset mysterium ini-

1260 } 105
1222 }
11 } 5
———
525

qui-

(a) Menses locustarum quid.

quitatis, (*a*) spacium nempe 520 annorum, ad finem utique sextæ tubæ, quod duarum tubarum intervallum continet?

Quæstio 52. Qui sunt (b) 4 *illi Angeli ad magnum rivum Euphratem soluti*, intra sextæ tubæ intervallum, ab (*c*) anno nimirum Christi nati 1514 ad annum 1774? Annon sunt *Angeli* quidam magni præsides constituti supra istas terræ provincias *Euphrati fluvio* adjacentes? Qui vero sunt (d) *equitantes illi, quorum numerus esset ducenta millena millia*? Annon sunt Turcæ? Illi enim istas provincias circa Euphratem sitas inhabitant. Qui intra sextum Intervallum, sub quo nos jam sumus, ab (*e*) anno viz 1514 Europam, tertiam Orientalis hemisphærii partem fortiter invaserunt, multaque millia *Christianorum* sic dictorum (non enim omnes vere fuerunt *Christiani*) occiderunt, qui tertia esse hominum pars dicantur. Porrò annon sclopeta quibus usi sunt Turcæ in bellis suis contra *Christianos*, haud ita pridem ante sextæ tubæ intervallum inventa, clarè hic describuntur, quæ *homines igne, sulphure, & fumo occidunt, & ea quidem ex ore equorum effluere* videntur, cum revera fluant ex ore istorum sclopetorum? Deinde annon equi *Imperia*, allegorice,

(a) Spatium 520 Annorum (b) Sexta tuba. (c) Anno. 151¼, 177¾. (d) Equitantes Turcæ. (e) Ao. 1514.

rice significant? Quia vero bona hujus sextæ tubæ intervalli pars, nondum venit, nec desitura est nisi (*a*) ad annum 1774, si falsi illi, & falso sic dicti, *Christiani* pœnitentiam non agant, annon ulteriorem, & pejorem impetum ictumque ab equitantibus istis expectare debent? Et præsertim ii, qui Idololatriæ abominandæ sunt rei, coluntque *Dæmones*, & *Idola*, ex auro, argento, ære, lapide, & ligno confecta, ut habetur Cap. 9. v. 20. Quare autem dicatur *angelos istos quatuor paratos fuisse ad horam, & diem, & mensem, & annum?* Annon ad significandum potentiam Turcarum, ab annis circiter 391 retro lapsis continuo paratam fuisse, & auctam, ante istud sextæ tubæ intervallum, prout ex historiis colligere est.

CAPUT X.

QUæstio 53. Annon decimum totum Caput libri Apocalypseos, cum undecimo a principio ejus ad versum decimumquintum effecta sive eventus sextæ tubæ contineat (*b*) ab anno, viz. 1514 ad annum 1774? *Angelus vero ille fortis, quem Johannes vidit a* Cælo *descendentem*, &c. *& libellum in manu tenentem*, annon Ecclesiæ Philadelphianæ Angelus est supra nomi-

(a) Ao. $177\frac{3}{4}$. (b) ab Ao. $1513\frac{3}{4}$ ad An. $177\frac{3}{4}$ sexta Tuba.

minatus, cujus intervallum (*a*) ab anno *Christi nati* 1700 incipiat? Pertinentne quoque intervalla (*b*) 7 tonitruum, ad sextam tubam, vel aliquam ejus partem? Quum vero mandatum esset Johanni *illa a 7 tonitruis prolata obserare*, annon magna erit alicui præsumptio, qui ea, ante debitum tempus revelare aggrediatur? Quomodo autem quis ea revelare posset priusquam aperiantur?

Quæstio 54. Quare Johanni dictum erat, postquam libellum istum comedisset, *quod prophetabit* (c) *denuo coram multis populis, gentibus, linguis & Regibus?* Annon denuo (*c*) victurus est intra hoc intervallum, viz. ante annum 1774? Ideoque annon pertinebit *ad signatos illos* 144000, *qui primitiæ fuerit primæ Resurrectionis* supra nominatæ?

Caput XI.

Quæstio 55. Postquam vero Johannes revixerit aliquando ante millenii futuri exordium, annon *calamo sive virga templum Dei, altare eosque ibi colentes mensurabit* prout illi dictum esset Cap. 11. v. 1?

Quæstio 56. *Quodnam est atrium illud* (d) *extra Templum, a Johanne*, cum venerit,

(a) Ao. 1700. (b) 7 Tonitrua sub sexta Tuba.
(c) Johannes denuo victuris ante A. D. 177¾.
(d) Templum extra.

rit, *excludendum, & non metiendum, sed gentibus dandum?* Annon per illud significantur tepidi Ecclesiæ laodicensis supra memoratæ professores? *Qui sunt denique Gentiles illi*, (a) *sive Gentes, quibus atrium hoc externum dandum est?* Annon sunt Turcæ aut alii Ethnici Populi, quibus dari sive permitti poterit, ad miserè affligendos carnales istos & nomine tenus solummodo Christianos, idque fere universim, postquam Deus electos suos & sinceros servos, ex isto acervo hypocritarum collegerit?

Quæstio 57. Quæ est *illa* (b) *Sancta civitas sub pedibus gentilium ad spacium 42 mensium conculcanda?* Quomodo denique sunt (c) menses illi intelligendi, propriè an mysticè, ut quidam opinantur? Annon Sancta hæc civitas vera est Dei Ecclesia, pure reformata, & ab omnibus Antichristianis inquinamentis defæcata, quæ per Philadelphiam significatur? Porrò annon Judæi & Israëlitæ post suam ad fidem Christianam conversionem, bonam Ecclesiæ hujus Philadelphianæ partem constituent, quique in istis perpessionibus, magnam aut præcipuam forte sortem habebunt? Quia vero illi (*d*) 42 menses ad sextæ tubæ intervallum pertinent, ut clare ex Apocalypsi liquet, annon impossibile est, ut menses isti

(a) Gentes quid. (b) Sancta civitas quæ. (c) 42 Menses quid. (d, Ad Sextam tubam pertinent.

isti significent totidem annos, quot dies in omnibus eis mensibus contineantur, viz. 1260? quia totum sextæ tubæ intervallum annos continet non nisi 26? Denique si illi 42 menses annos continerent 1260, facerent certè magnam hanc persecutionem Ecclesiæ fore infligendam, intra septimum mundi millenium, quod valde absurdum est. Annon ideo illi (a) 42 menses proprie pro mensibus vulgaribus sunt intelligendi, tres annos cum dimidio anni conficientes, quod tempus quidem breve est, sed acre, in quo ultima *Ecclesiæ* persecutio, quam unquam subitura est, incidet? Annon vero *Daniel* ad finem Cap. 11. & exordium Cap. 12. modum hujus persecutionis planè tangit? Qui autem præcipuus futurus est auctor hujus persequutionis, eritne (b) *Rex* ille a Daniele descriptus Cap. 16. v. 36 ad finem, & quem *Iohannes* in Apocalypsi vocat *septimum regem, adhuc venturum, cum autem venerit, de eo dicitur, quod breve tempus permanebit?*

Quæstio 58. Qui sunt illi *duo Testes amicti saccis, qui totum istud tempus ultimæ persecutionis prophetabunt, viz.* 1260 *dies?* Eruntne (c) *Moses* & *Elias* denuo in vitam supra terram in corpore excitati? Annon vero hoc ipsum satis clarè innuitur verbis *Io-*

(a) Menses proprie intelligendi. (b) Rex septimus nondum venit. (c) Testes Moses & Elias denuo victuri.

Iohannis Cap. 11. Quod scilicet *potestatem habebunt cœlum claudendi, ut non pluat diebus prophetiæ suæ*, [prout alias olim fecisset] *& super aquas in sanguinem eas convertendi, terramque plagis quibuslibet feriendi*, ut olim quoque fecisset Moses?

Quæstio 59. Quare autem incredibile putetur, *Mosem* & *Eliam* denuo in mundum esse venturum, quum satis ex Scriptura constiterit, tum in libro *Apocalypseos*, tum in aliis Scripturæ locis sanctos omnes denuo in mundum esse venturos intra millenium futurum? Quod vero *Iohannes* dicat 144000 Israëlitas primitias fore regni istius, & status præclarissimi, annon *Moses* & *Elias* ad primitias illas pertinebunt? Porrò quod ad *Eliam* attinet, annon dixit Christus venturum Eliam, *sive quod venit, & omnia restituit*, postquam mortuus est *Iohannes Baptista*, quem *Eliam* appellavit? Ut quid denique *Moses* & *Elias* videbantur cum *Christo* in transfiguratione ejus antequam mortem passus esset? Annon ad significandum illos proximos *Christo* fore, proximèque post eum resurrectionem a mortuis obtenturos; atque (similiter ad eum) in cœlum ascensuros?

Quæstio 60. Annon *Prophetæ illi duo* revera occidentur, mortemque corporalem sustinebunt [prout *Christus* revera mortuus est] & post *tres dies cum dimidio*, annon *resurgent a mortuis*, quemadmodum *Christus* a mor-

a mortuis tertio die resurrexit? Ut quid enim hoc incredibile videatur? aut quare ad nudum allegoricum verborum istorum sensum de horum duorum testium occisione, & resurrectione, homines se conferunt, cum proprius & literalis verborum sensus sit sanus, nullamque habeat absurditatem, sed ad divinam gloriam, & omnipotentiam demonstrandam apprime inserviat?

Quæstio 61. Quæ est *illa civitas magna spiritualiter* (a) *Sodoma & Egyptus, ubi etiam Dominus crucifigebatur in qua duorum istorum testium occisorum corpora jacebant ad tres dies & dimidium insepulta?* Fierine potest locus ille ubi *Christus* externe crucifigebatur? Et poteritne magna aliqua civitas ibi exstrui, & eo in loco tum temporis stare? Possitne quoque mysterium aliquod magnum continere, *Mosem* & *Eliam*, in eodem loco fore occidendos, quo & *Christus* occisus erat? Posteaque excitandos, etiamsi temporis distantia inter hujus & illorum occisionem circa annos sit 1740? Et quidem ex historia liquet *Æliam Adrianum* civitatem ibi exstruxisse apud montem viz, Golgotha ubi *Christus* crucifigebatur, vocavitque eam *Æliam;* Christiani vero *Hierosolymam* vocabant, & ita quoque hodie vocatur, atque a *Turcis* possidetur. Annon quoque patet ex *Daniele* Cap. 11. v. 45. quod *Rex* ille qui

(a) Sodoma & Egyptus quid.

qui Judæos, ad fidem *Christi* conversos, persequetur, *Hierosolymæ* habitabit, *quam montem Sanctum decorum inter maria situm appellat*, communiter enim pro loco sacro habitus fuit is locus, & inter maria vere constitutus est.

Quæstio 62. Ad quod tempus referenda est duorum testium occisio, & resurrectio? Annon ad postremos tres annos cum dimidio immediatè millenii futuri exordium præcedentes, quia duorum testium resurrectio, & ascensio conjuncta est cum septimæ tubæ clangore, aut sonitu: Apud Danielem quoque, Cap. 12. *tempus* illud *in quo Michaël adstabit ad populum Iudæorum salvandum, conjunctum est cum resurrectione a mortuis*, viz, primâ.

Quæstio 63. Annon (*a*) *septimæ tubæ* sonitus millenium illud futurum præclarissimum introducet, primamque sanctorum a mortuis resurrectionem debito suo ordine, viz. (*b*) ab anno a *Christi* resurrectione 1740 aut circiter ad annum 2000, septimæ & ultimæ tubæ intervallum, eundem annorum viz 260 numerum continens, quem reliquæ prædictæ contineant? Omnia vero 7 tubarum intervalla, *cum silentio semihorario* annos complectuntur bis mille, nam (*c*) 260 per 7 mul-

260
7
1820
180
2000

(a) Tuba septima. (b) ab Ad. 1740 ad An. 2000. a Resurrectione scilicet. (c) Duratio cujuslibet Tubæ est Annorum 260.

multiplicatus, producit 1820, cui si addatur numerus silentii quasi semihorarii prædictus 180, summa constituit 2000. Annon vero *Iohannis* verba Cap. 11. v. 15. plane indicant exordium millenii futuri primæque resurrectionis, ab initio septimæ tubæ desumendum esse? Ait enim loco citato: *septimus igitur Angelus clanxit, & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes, facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ejus, qui regnabit in secula seculorum* &c. Lege ad finem Capitis præcipue autem v. 18. *Et iratæ sunt gentes, & advenit ira tua, & præstitutum tempus mortuorum, ut judicentur, & des mercedem servis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum, parvis & magnis, & perdas eos, qui perdunt terram* &c.

Quæstio 64. (a) Visio illa Johannis Cap. 12. descripta annon synchronizat, sive in illud temporis intervallum incidit, cum visione prædicta *silentii semihorarii* & *septem tubarum*? Estne autem *mulier* hic descripta *Ecclesia*? *Masculus* verò ejus *vita Christi*, sive verus spiritus Christianismi in novo partu ceu regeneratione spirituali productus? Fuitne autem hic spiritus, (sive *vita Christi*) præclare revelatus, & productus in primitivis illis temporibus, ad spacium trecentorum annorum & amplius, post *Chri-*

(a) Visio Cap. 12 synchronisat cum visione Cap. 8.

Christi Resurrectionem, & in cœlos *ascensionem?* Magnus verò ille *Rufus Draco*, annon diabolus est, *septem* vero ejus *capita* annon 7 *monarchiæ* sive *regna*, alia aliis suo ordine succedentia, quorum 5 ante dies Johannis essent elapsa? *Cauda* denique *draconis* hujus annon *falsos* significet *Prophetas*, prout verus ille Propheta dixerat, *Propheta qui docet mendacia, ille est cauda?* Porrò *tertia pars astrorum cœli in terram projecta per hanc caudam*, annon magnum aliquem numerum religionis Christianæ professorum, sed parum stabilium, qui in veritate non perstiterint, nec in vita ejus quod sint professi permanserint, designat?

Quæstio 65. Quid per (*a*) *mulierem in eremum fugentem* significatur? Annon solitarius quidam & obscurus *Ecclesiæ Dei status* in quem ventura esset, & in quo veri Christi assertores plurimum essent dispersi, & veluti in eremo, sive nemore absconditi, parumque externe apparentes, vel sub observationem oculi externi venientes, quemadmodum fiebat in diebus *Eliæ*, qui putabat, se solum fuisse relictum, dixit autem illi Deus *se habuisse 7 millia, qui Baali genu non flexissent?*

Quæstio 66. Quantum est illud tempus (*b*) 1260 *dierum, quibus mulier fugit in eremum?* Annon continet 1260 annos communes? In Scriptura enim dies pro anno ali-

quo-

(a) Mulier in eremum fugiens. (b) 1260 dies in eremo tot anni.

quoties sumitur mystico, sive prophetico sensu. Annon autem ipsa experientia, & Ecclesiæ à sæculis retro lapsis, historia clarè demonstrant, solitarium istum & obscurum Ecclesiæ statum continuatum fuisse supra 1200 annos jam dudum elapsos, idque propter Antichristianas tenebras, atque tyrannidem? Annon verò tempus illud annorum 1260 expirat, ad exordium intervalli *Ecclesiæ Philadelphianæ*, quod in annum a Christi Resurrectione 1666 incidit, sive in annum a *Christo nato* 1700? Annon igitur prædictum tempus annorum 1260 incipiet ad annum à *Christo nato* 440? Etquidem circa hoc idemtempus 440 annorum à *Christo nato* Imperium occidentale penitus ferè coincidit & in sui ipsius casu divisum erat *in decem* minora imperia sive regna, quæ *decem cornua bestiæ* a *Iohanne* vocantur, & illa quidem miserè percutiebant servos Dei hic & illic dispersos.

$1666\frac{2}{3}$
$33\frac{1}{3}$
A. Co. No. 1700

Quæstio 67. Circa quod tempus *Michaël cum Angelis suis vicerint draconem cum angelis ejus, quando [Draco ille cùm Angelis suis in terram dejicientur, sanctique in sanguine Agni & verbo testimonii sui, eos vicerint?* Annon tempus illud erit circa finem annorum 1260 prædictorum? Quod verò *draco a cœlo in terram projicietur*, annon significat Ecclesiam hic pro cœlo positam, quietem sive pacem cum internam, tum externam ha-

habituram liberamque à calamitatibus futuram pro bona aliqua temporis parte, post numerum illum 1260 annorum expiratum? *Draconis vero in terram projectio* annon potentiam ejus, quam supra homines carnales sive terram solummodò sapientes habebit significat, qua horrida bella & odia inter eos exoritura causabit? Annon denique Ecclesia circa hoc tempus apparebit ex eremo exiens & Satanas fratrum accusator dejicietur, ut eam non jam accuset hæreseos, seditionis aliorumque ejus generis criminum, prout antea fecisset? Porrò annon tempus istud in quo Ecclesia pace externa gaudebit, aliquam diu permansurum sit quasi circa annos 70, dum reliqua pars mortalium bellis & calamitatibus multis, magnisque summè premetur?

Quæstio 68. Postquam verò Ecclesia ex eremo redierit, paceque externa pro bono aliquo tempore gavisa fuerit, annon *secundo fugiet in eremum*? Secunda autem hæc Ecclesiæ fuga, annon satis clarè v. 14. describitur? Quare verò dicitur, quod *in fuga sua secunda, alas duas aquilæ habebat sibi datas*, nisi ad significandam fugæ suæ & reditus velocitatem? Annon ergo tempus secundæ hujus fugæ brevis moræ erit dierum viz. 1620, prout tempus illud primæ ejus fugæ longum erat, viz annorum 1260. Quod si utrumque hoc tempus annos contineret 1260, faceret profectò postremam Ecclesiæ fugam intra feli-

cis-

cissimum mundi sæculum millenii futuri casuram, quod perabsurdum est. Porrò secundæ hujus fugæ tempus dierum viz. 260, annon idem est cum eo, in quo *duo prophetæ saccis amicti prophetabunt, sanctaque civitas conculcetur?*

Quæstio 69. Quid per hoc significatur quod *terra succurret mulieri, aperuitque os suum & absorpsit flumen, quod ejecerat draco ex ore suo?* An quia flumen hoc iræ draconis, in alios quosdam populos incidet, eosque cum Ethnicos & ex professo infideles, tum Christianos solummodo nominetenus & falsò sic dictos, qui alii contra alios bella intulerunt, ut sic Ecclesia facilius è faucibus draconis elabatur?

CAPUT XIII.

QUæstio 70. Quæ est *ista bestia visa à Johanne, quæ e mari exorta est, septem capita & decem cornua habens?* Annon hæc bestia 7 magnarum monarchiarum corpus significat, quarum 5 *capita jam tum essent elapsa*, præ diebus Johannis (Apoc. Cap. 17.) *duo autem manebant, ventura?* Porro illa (*a*) 5 hactenus ante Johannem elapsa suntne sequentia: prima *Monarchia Æpyptiaca*, sive Ægyptiorum, sub qua *Iudaica Ecclesia* sive populus Israëliticus olim multa patiebatur, ideoque *Pharaonis* cum exercitu ejus in mari subversio, Draconis

(a) 5 Capita elapsa.

vulneratio in Scriptura appellatur. Secunda *Monarchia Assyria*, sub qua decem tribus in exilium mittebantur. Tertia *Babylonica* cujus caput fuit Nebuchadnezar, qui 2 reliquas tribus abduxit in *Babylonem*, templumque & civitatem *Hierosolymæ* destruxit. Quarta *Monarchia Medorum* & *Persarum*. Quinta *Græcorum*, cujus caput fuit *Alexander* ille *Magnus* dictus. Quæ quidem 5 capita sive *Monarchiæ* ante Johannis tempora ceciderunt, annon ideo *sextum caput Monarchiæ est Romana*, quæ in diebus *Iohannis* unice stabat?

Quæstio 71. Quodnam est caput (*a*) septimum quod Johannes venturum prædicebat, & an adhuc venit; aut potius venturum, & quomodo octavum illud a septimo distinguendum est? Quare autem *Daniel* 4 tantum *Reges* numerat, & Johannes 7? Annon septimum caput videtur esse nova aliqua *Monarchia*, quænondum adhuc venit sed propè jam ventura, sub quâ ultima Ecclesiæ persecutio, quæ maxima erit omnium, incidet ad *tres tantum annos & dimidium duratura*, ideoque dicitur, quod *pro brevi tantum tempore morabitur*. (b) *Octavum* denique caput estnè ex septimis unum tantumque a septimo circumstantiis quibusdam distinctum, unumque ex decem illis bestiæ cornibus, quod tandem *supra alia cornua prævalebit* secundùm *Danielem* Cap.

7. V.

(a) Caput septim. (b) Caput octavum.

7. v. 20. 21. ? Quod verò *Daniel* tantum 4 *Reges*, *Iohannes* autem 2. numeret, annon ideo est, quia *Daniel* non altius respicit quam *Nebuchadnezarem*; Johannes vero ad primum omnium *Regem* spectat, qui Ecclesiæ *Dei* persecutionem intulit, & is fuit *Pharao Egyptiorum Rex*? Ut quid autem hæ 7 *Monarchiæ* una bestia vocantur nisi quod etiamsi homines isti aliis atque aliis mundi sæculis essent distincti, unus tamen & idem persecutionis spiritus actitabat eos omnes contra Ecclesiam?

Quæstio 72. Annon *Iohannes Sleidanus, in Tractatu suo de* 4 *Monarchiis* benè distinguat, & numeret 10 illa regna, quæ Johannes cornua bestiæ vocabat, in quæ *Monarchia Romana* tandem divisa esset, hoc ordine. 1. *Syria*. 2 *Ægyptus*, 3 *Asia*, 4 *Græcia*, 5 *Africa*, 6 *Hispania*, 7 *Gallia*, 8 *Italia*, 9 *Germania*, 10 *Britannia*? Quare autem dicatur, ista decem *cornua*, *sive Reges* (Johannis tempore) *nullum regnum accepisse* Cap. 17. 12. *sed potentiam habuisse sibi datam tanquam Regibus cum bestia*, *spacio unius horæ*? Annon quia pro spacio unius horæ mysticæ sive annorum 333 post Johannem, illi Reges potentiam suam regnandi cum bestia non divisam sed conjunctam erant habituri, post horam vero illam elapsam 10 illi *Reges* prædicti exorti sunt sua regna divisa habentes, a *Romana Monarchia*, & quasi avulsa, & hi quidem acrius *Ecclesiam*

Dei persequebantur?

Quæstio 73. Quid per illud intelligendum est quod unum de capitibus istis 7 bestiæ, vulnere mortifero feriabatur, quod denuò sanatum erat? Annon appositè hoc significare potest *Romanos Imperatores* hoc vulnus accepisse dum ab *Ethnicis* ad *Christianos* imperium transferebatur, tum acer ille spiritus persecutionis qui in prioribus illis *Imperatoribus* erat, mortali quasi vulnere, pro aliquo temporis spatio, afflictus erat, ut patet in *Constantino magno* primo *Imperatore Christiano*, qui conscientiæ libertatem omnibus concessit, citò autem post *Constantinum*, successores ejus, sub nomine & professione Christiana, veros Dei servos æque acriter sunt persecuti ac olim persequebantur *Imperatores Ethnici*; & hac quidem ratione, annon bene dici poterit *bestiæ vulnus mortiferum denuo sanatum fuisse, dum* spiritus persecutionis novas vires, in novis *Imperatoribus Christianis* sic dictis accepisset?

Quæstio 74. Qui sunt (*a*) 42 *illi menses in quibus data est potestas bestiæ, ut toto illo tempore permaneret, & bellum cum sanctis faceret, eosque vinceret?* Annon prædictum tempus annorum 1260 per menses illos intelligendum est? Porrò annon nimis certa experientia sæculorum prædictorum, prout ex Historia patet, satis probat, spiritum illum

(a) 42 Menses bestiæ.

illum *Antichristianum in Imperatoribus & Regibus Christianis* sic dictis vegentem veros *Dei* servos, *Christique* fideles sectatores annos ferè 1260 fuisse persecutos; spatium vero illud annorum 1260, annon propè finem advenit? qui vero vixerit ad annum 1700 a *nato Christo* aut circiter prorsus finitum esse viderit?

Quæstio 75. Quomodo sunt verba illa intelligenda cap. 13. v. 10. *Qui ducit in captivitatem, abibit in captivitatem, & qui occidit gladio, gladio quoque occidetur?* Quare denique adduntur sequentia verba hoc modo, *hic est fides & patientia sanctorum?* Annon enim plurimi persecutores, *suis in lectis*, morte *naturali* mortui sunt, suisque in *domibus*, de quorum *captivitate* nihil *hactenus* auditum est? An ideo vero dixit, *hic est patientia & fides Sanctorum,* quia judicium illud adversus persecutores, post *longum aliquod tempus* implendum esset, quod quâ ratione fiat, dignum est explicatione, de qua alio in loco.

Quæstio 76. Quæ est ista (a) *bestia quam Johannes viderat è terra oriundam* (prima vero bestia è mari exorta est) *duo cornua habens instar Agni, sed loquens instar draconis, omnemque prioris bestiæ potentiam exercens?* Quare denique *numerus ejus dicatur esse* 666: *ille vero qui intelligentia est præditus numerum istum computare jubeatur?* Annon bestia

(a) Bestia secunda potestas Papalis.

hæc secunda est potestas *Papalis*, ex terra oriens, quia sæpenumero *Papæ* vilem habent extractionem, & generis inferioris prout terra mari cæterisque Elementis inferior est? *Duo autem ejus cornua instar agni* annon geminam istam authoritatem quam *Papæ* prætendunt sibi commissam, viz. & *spiritualem* & *temporalem*, planè significant? Quod autem *loquutur ut Draco*, annon hoc signanter exprimat *Bullas Papales* & sententias excommunicationis, quas contra omnis generis homines, qui decretis ejus non sint obsequuti, detonavit? Ab anno vero post *Christum natum* (a) 1034 sive a mortuis excitatum 1000 annon potentiam omnem *primæ bestiæ exercuerunt Papæ*; se ipsos supra omnes *Reges* & *Imperatores* evehentes, eosque iræ suæ instrumenta & ministros efficientes adversus electos & fideles Dei servos? Quod verò dicatur *potentiam habere ut imagini bestiæ vitam daret* quid aliud significare potest, quam quod *Papæ* ab *Imperatoribus*, potentiam & autoritatem omnem eorum sibi ipsis arripuerunt, nihilque fere iis reliquerunt præter *imaginem* quandam, aut umbram *Imperii*? Quam autem vitam, sive vim imperandi habuerant *Imperatores* aut *Reges* Christiani a tempore quo *bestia secunda* exorta est, ab ipsa *bestia secunda* utique *Papa*, fluxisse compertum est. Cum enim olim *Papæ* ab *Im-*

(a) Ao. 1034.

Imperatoribus dependebant, postquam *Papæ* facti sunt adeò magni, *Imperatores* a *Papis* dependerunt. Porrò numerus ille Papalis (*a*) 666 annon totidem annos designat qui duas horas mysticas sive Revolutiones significant? ab anno post *Christum* a mortuis excitatum *millesimo* exoriendo, & ad annum 1666 finiendo, sive ad annum (*b*) 1700 post ejus nativitatem. Et sane intra hoc tempus P*apæ Romani* supra *Imperatores* & *Reges* se tantum evexerunt. Prima autem P*apæ* usurpatio, quâ *Imperatorem* de sede imperiali dejicere, & coronam, cui velit dare, aggressus est, in *Benedicto nono* apparuit circa ipsum annum a *Christo nato* 1034, prout Historiæ confirmant, & præcipue *Lucas Osiander* Epit. Hist. Eccl. Quæ tamen postea magis strenuè confecta erat a *Gregorio septimo* alias *Hildebrando* appellato, circa annum (*c*) 1073 & in sæculis sequentibus ad hunc usque diem continuata.

Quæstio 77. Numerus ille 144000 *quos videt Johannes super montem Zion, cum agno stantes, canticum novum canentes* &c. annon eosdem designat pari numero descriptos Cap. 7. *qui primitiæ erunt primæ resurrectionis supra nominatæ*? Quum clare distinguantur *a* 4 *animalibus*, *& senioribus quod canticum novum canebunt, ante animalia & seniores, & nemo istud canticum discere po-*

(a) 666. (b) Ao. 1700. (c) Ao. 1073.

potuit, excepto prædicto isto numero 144000. *Et tamen Deus quam* certissime alios fideles servos super terram in eo tempore habebit qui suum etiam canticum habebunt, etiamsi prædictum illud canticum discere nondum queant, quod peculiare quoddam videtur *primam Resurrectionem* assecutis proprium?

Quæstio 78. Tempus quo numerus ille 144000 apparebit, annon post expletos 42 *Menses* sive annos 1260 annorum qui *prima est bestia*, & posterior 666 annorum, qui est secundæ, eundem finem habebit, expirando circa annum a *Christo nato* (*a*) 1700 habito ad veram *chronologiam* respectu, quæ a vulgari computatione per aliquot annos differre a multis existimatur, sic ut vera præcedere credatur vulgarem, spacio duorum annorum, ut quidam, vel 4, ut alii opinantur.

Quæstio 79. Circa tempus illud in quo *numerus ille signatorum apparebit* 144000, annon *Angelus per medium cœli volabit euangelium habens æternum ad prædicandum inhabitantibus super terram, unicuique genti, populo, generi, & linguæ*? Quis vero Angelus hic est, an *Jesus Christus*, vel Angelus aliquis ab ipso deputatus? Et quomodo Angelus hic Euangelium quibuscunque prædicabit? Annon hoc fiet bonos & sanctos viros

(a) Anno 1700 Vera Chronologia a communi differt.

viros inſpirando, eoſque movendo, ut in alias gentes proficiſcantur, quo *Euangelium Christi* ubivis terrarum annuncient? Et ſic quidem nullus populus, aut gens erit ſuper univerſum terrarum orbem, quibus non annunciabitur euangelium, ante finem mundi, tam interne quam externe (prout *Christus* prædixerat) ut *omnes electi Dei filii ubivi diſperſi colligantur, aliique in excuſabiles reddantur.* Pertinetne autem hoc tempus ad intervallum *Eccleſiæ Philadelphienſis*, cui Dominus promiſerat, *quod præ eo oſtium poneret apertum quod nemo clauderet?* Ideoque annon aures & corda multorum in omnibus gentibus aperientur potentia divina efficaciter, in miniſtris a Deo miſſis operante, ad credendum & obediendum Sancto Euangelio, quo magna erit multorum omnis generis populorum ad Chriſtum converſio poſt univerſalem hanc Euangelii publicationem? Annon etiam dona linguarum, & miracula cum aliis præclaris ſpiritus divini donis Apoſtolis olim communicata reſtituentur Eccleſiæ quæ reſtitutæ denuo reddentur, cum illud tempus advenerit?

Quæſtio 80. Annon *Babylon civitas illa magna citò caſura eſt*, poſtquam Euangelium promulgationem ſuam habuerit in gentibus ſecundum ordinem *Prophetæ Iohannis* Cap. 14. ubi *primo de* 144000, *ſtantibus cum agno ſuper mortem Zion loquitur*, *ſecundo. De ge-*

nerali euangelii publicatione ad omnes gentes. tertio de casu Babylonis ?

Quæstio 8. Annon prima omnium Sanctorum Resurrectio, felixque illud & præclarum Sabbatum, quo super terram potituri sunt, post primam Resurrectionem clare indigitantur Cap. 14. v. 13. *Beati sunt mortui qui in Domino morientur a modo dicit spiritus, ut a laboribus requiescant & opera sua eos sequuntur*? Quare autem dicit a modo, nisi ut nobis indigitet, præclarum illud Sabbatum Sanctorum? Quamvis enim Sancti continuo sunt beati, & in Christo post mortem requiescunt, annon tamen his verbis peculiaris quidem gradus felicitatis, nobiliusque Sabbatum, quo Sancti fruantur in millennio futuro designatur?

Quæstio 82. Quid significat quod *demessa sit terra & vindemiantur botri vineæ terræ*? Annon per ea sunt intelligenda reveranda Dei judicia super incredulos & inobedientes, postquam Deus benigne fideles suos servos remuneraverit?

Quæstio 83. Quomodo illa verba sunt intelligenda Cap. 14. 20. *Et calcatus est locus extra civitatem exivitque sanguis e lacu, usque ad frænos Equorum per stadia mille sexcenta*? *Pertinetne hoc* ad tempus *prælii Armageddon, sub phiala septima*, quando *Gog & Magog*, sive *impii* cujuscumque generis sese *in magnis agminibus conjungent* contra

po-

populum Dei, agnum sequentem, præsertim vero contra *Iudæos* & *Israëlitas* modo conversos, & tum in sua terra inhabitantes? De suo prælio, vide etiam Ezechiel Cap. 38. v. 11, 12?

CAPUT XV.

Quæstio 84. Ad quod intervallum sive spacium temporis pertinet (a) *visio 7 Angelorum 7 suas phialas iræ divinæ plenas effundentium*? Annon ad tempus septimæ tubæ pertinere clarè videntur, ab anno nimirum *Christi* a mortuis excitati 1740 ad Annum 2000? Nam Phialæ istæ 7 *ultimas plagas continere dicuntur* atque in iis *impleta est ira divina*? Pertinebuntne igitur ad *septimam tubam*, quæ plagas continet horrendas. Deinde antequam aliqua istarum Phialarum effundatur, *templum Dei est apertum in cælo, & qui adepti sunt victoriam super bestiam & imaginem ejus, & notam, numerumque nominis ejus*, viz. post transactos a morte Christi annos 1666 *stabunt super mare vitreum igne mistum, cantantes canticum Mosis & agni, & prædicentes gentium conversionem quasi* generalem? *Apertura* vero *hæc templi* annon pertinet ad Philadelphiensis

Ao. 1740	
$33\frac{2}{3}$	
Ao. $1773\frac{2}{3}$	

(a) 7 Angeli cum 7 Phialis ad 7 Tubam pertinent.

sis Ecclesiæ intervalli principium? Et certe si bene consideretur quantam vim habeat regnum Antichristianum in hoc mundo, ad hunc diem, satis firmum videtur argumentum, quo concludatur nullas phialarum hactenus fuisse effusas.

Quæstio 85. Qui sunt illi a Johanne *visi stantes super mare vitreum igne mistum, victoriam super bestiam, ejusque imaginem, notam & numerum adepti, citharas Dei habentes, & canticum Mosis & agni cantantes?* An illi 144000 primam resurrectionem præ aliis consequuti, an etiam una cum illis reliqui alii sancti? *Mare autem illud vitreum, estnè* mundus hic aspectabilis, plenus ærumnarum & calamitatum, super quod tamen mare quasi esset solidum instar vitri, stabunt sancti, qui victoriam super bestiam reportarunt, non tantum *Mosis canticum* cantantes in testimonium liberationis, sed *Agni* etiam?

Quæstio 86. Quomodo sunt verba illa intelligenda Apocal. 15. 8. *Et templum fumo a gloria Dei impletum fuit, & a potentia ejus; ac nemo templum intrare potuit, quoad 7 plagæ angelorum complerentur?* Annon hoc significat Ecclesiam Dei, toto illo 7 Phialarum intervallo patentem fore, & præclare splendentem, divina gloria indutam, quæ ita omnes suos adversarios confunderet, ut nullus eorum toto illo tempore ingredi eam potuerit, vel ad minimam injuriam ipsi faciendam, forsan autem circa

finem

finem *septimæ Phialæ* adversarii illi Ecclesiæ contra ipsam quidquam molientur, ad illud enim tempus *prælium Armageddon* referendum videtur, ubi tandem omnes grandine & igne cœlitus immissis peribunt?

7 Tonitrua ad 6 Tubam 7 phialæ ad 7 Tubam pertinent.
Tubæ duratio. 260 an.
7
$37\frac{1}{7}$
Intervallum phialæ.

Quæstio 87. An 7 tonitrua ad sextam tubam pertinentia, & 7 phialæ pertinentes ad septimam tubam habeant quid analogum?

Quæstio 88. Annon 7 Phialarum effusio casum Babylonis indigitat, tot veluti gradibus, uno post alterum succedente unoquoque Phialæ intervallo anno $37\frac{1}{7}$ complectente, qui sunt $\frac{1}{7}$ intervalli 260 numeri uniuscujusque tubæ? Annon igitur illi plurimum decipiuntur, qui putant Babylonem hactenus cecidisse, vel saltem ejus casum admodum esse propinquum? Annon & illi decipiuntur qui putant 4 phialas hactenus fuisse effusas, quum magis probabile sit nullam earum adhuc effusam esse, sed primam effusam fore ab anno 1740 *Christi* a mortuis excitati; apertio enim templi & visio signatorum 144000 præcedunt phialarum omnium effusionem, ut clarè

vel ex ipsa serie prophetiarum hujus libri apparet?

Quæstio 89. Quid per *terram* significatur, *supra quam prima phiala est effundenda*? Annon infimum genus *Hierarchiæ Antichristianæ*, cujusmodi sunt *Sacerdotes*, & *clerici* inferioris generis cum suis sequacibus? Quid autem per *mare* significatur? Annon superius aliquod genus istius *Hierarchiæ* (prout mare terra superius est) cujusmodi sunt *primarii sacerdotes*, sive *Episcopi* cum suis sedibus, quos maria appellant? Quod vero *maria illa in sanguinem sunt convertenda*, annon magnam aliquam cladem, per bella, super istos homines casuram designat? Deinde quid *per fontes & rivos intelligere* habemus? Annon alios superioris adhuc *Ordinis* & generis, quales sunt *primarii Episcopi*, sive *Archiepiscopi*, vulgo dicti, *Cardinales* & *Metropolitani Hierarchiæ Antichristianæ*, qui sanctorum & Prophetarum sanguinem effundebant? Et ideo tum temporis & suum habebunt sanguinem effusum non quidem *ab ullis Sanctis*, sed aliis instrumentis, justissimo Dei judicio, adversus ipsos excitatis? Quomodo vero, aut quando illi *sub tertia phiala occidendi sanctorum sanguinem effundebant*, quæstio est explicatione admodum digna, *cum nulli sanctorum post intervallum sextæ tubæ a quibusvis occidentur*? Porro annon reliquarum 4 *Phialarum effusio*, *Babylonis* sive Ecclesiæ

clesiæ falsæ & Antichristianæ casum & interitum per varios gradus denotat, una cum interitu & fine totius orbis terrarum *Regnorum*, & *Dominationum* humanarum corruptarum? Annon denique *magnus ille fluvius Euphrates sextæ phialæ subjectus* Turcas, aut alias quosvis istas terræ regiones apud *Euphratem* sitas inhabitantes significat, ad viam *Regibus Orientis* struendam? Qui vero sunt illi *Reges Orientis*, annon *Sancti* in millennio futuro denuo in vitam excitandi?

CAPUT XVII.

QUæstio 50. Annon *mysterium Babylon* tam plene in hoc capite descriptum *Ecclesiæ* falsæ & *Antichristianæ* integrum corpus designat? Et præcipue quidem *Ecclesiam Romanam Apostatam* a multis retro sæculis factam, quæ & *Sanguinem sanctorum & martyrum Dei bibisset?* Annon vero *bestia illa, super quam meretrix hæc magna consedit*, *Monarchia* est *Romana*, quæ sextum est caput? Cadente autem sexto illo capite annon *septimum* caput oriundum est, & post illud *Octavum*, quod *tamen de septem est, & septimi veluti quædam appendix?* Annon autem *Daniel* apperte *duos* illos *Reges* describit, unum austri, & alterum septentrionis? Annon denique illi *Reges* aut unus eorum cum *falso Propheta*

cum-

cum eo excitando adversus sanctos exsurgent ut eos occidant sub septimæ phialæ intervallo? Porro annon *Deus* sanctos suos miraculose custodiet, ipsorumque adversarios *igne & grandine cœlitus demissis* destruet?

Annon vero *prælium Armageddon* (quod ad ultimam phialam pertinere videtur) satis clare ab *Ezechiele* describitur, & Reges quoque illi prædicti sub nominibus *Gog* & *Magog* appellati Cap. 38. & 39?

CAPUT XVIII.

QUæstio 91. *Casus & interitus ille Babylonis igne sive incendio* Cap 18. tam plene descriptus, annon Ecclesiæ falsæ & Antichristianæ internecionem & deletionem totalem significat? Quæ sunt autem *filiæ illæ Babylonis* nisi Hypocritæ in quavis secta aut professione Christianorum, utut Reformationem prætexant, dum a vero spiritu & vita Religionis Christianæ alienati permaneant?

Quæstio 92. Quomodo intelligendum est, quod *in Babylone sit inventus non tantum Prophetarum & sanctorum sanguis, sed & omnium qui mactati sunt in terra?* Annon sanguis ille tam multus effusus respicit totum illud tempus 4000 annorum a fluvio *Noachi* lapsorum, ex quo *Babylon* externe cœpit ædificari integram unius *diei*, aut *noctis* ma-

gnæ duodecim horarum revolutionem complectens? An ergo homicidæ illi & sanguinis humani fusores, *a fluvio Noachi*, (a) *ad annum mundi conditi* 5740, aut Christi a mortuis excitati 1740, unam & eandem conficient *civitatem Babylonem*, omnesque simul in ea pœnas dabunt, qui pœnitentiam veram non egerint. *Quomodo vero hoc fiet, explicatu est admodum dignum.* Porrò *hora illa in qua Babylon plectetur judiciis illis divinis tremendis*, de qua dicitur cap. 18. v. 10 *una hora venit judicium tuum*, annon $333\frac{1}{3}$ annos continebit, vel $\frac{1}{3}$ mille annorum, secundum istam rationem qua 1000 *anni vigiliam noctis constituunt*, ut habetur *Psalmo* 90 v. 4. & quælibet vigilia tres horas, duodecim vero horæ noctem sive diem integrum?

xx1
x000 } $333\frac{1}{3}$ hora.
333

CAPUT XIX.

QUæstio 93. Quis est iste *multus populus quem Johannes vidit in cælo dicentem, Hallelujah salus, & gloria, & honor & virtus Domino Deo nostro?* Annon hi significant magnam illam turbam convertendorum, tum *Judæorum*, tum *Gentilium* per universum terrarum orbem sub sexti *sigilli* intervallo, *tubæque septimæ*, &

(a) A. M. 5740.

& ultimæ una cum fanctis fub *tuba feptima*, denuo in vitam excitandis? annon ergo in eadem horâ annorum 333 ab anno viz. *Christi nati* (a) 1700 ad annum 2033, five ab anno illius a mortuis excitati 1006 ad annum 2000 *civitas Babylon* deftruetur, & *Civitas* five Ecclefia *Dei* præclarè extruetur? Annon denique ipfiffima hora ea eft quæ (Apoc. 3. v. 18.) dicatur *hora tentationis ventura fuper univerfum orbem terrarum*, ex quâ, utpote ex iftius *horæ periculo & malo*, *Deus Ecclefiam Philadelphienfem*, fupradictam *fervare promifit*?

Quæftio 94. Quæ funt *illæ nuptiæ agni*, *quas veniſſe* fub prædictum tempus Johannes affirmabat? Quæ denique eft *Cœna illa agni ad quam qui vocantur beati funt* v. 7. & 9? Annon utrumque hoc (& nuptiæ & cœna agni) primam refurrectionem defignat Sanctorum in vitam excitandorum, quibus matrimonium omne cum ejus ufu carnali inter viros & fœminas ceffabit, dicente *Chrifto*, quod *in Refurrectione neque nubent*, *neque in nuptias dabunt*, *fed agno nuptæ erant Sanctorum animæ virgines interim* caftæ & purè manentes?

Quæftio 95. Annon clare apparet ex Cap. 18. v. 14. 15. *Exercitum illum Agni armis nullis carnalibus ufurum*? Ipforum enim Dux, quem fequuntur *albis veftimentis induti*, & *albis equis adverfarios percutiet* *gladio*

(a) Ao. 1700.

gladio ex ore suo prodeunte? Qui sunt autem *ibi illi equi*, quos sancti habebunt? annon pura illa corpora, quæ *Resurrectionis illius primæ* erunt?

CAPUT XX.

QUæstio 96. Quis est *ille Angelus visus a Iohanne cælitus descendens, habens clavem abyssi & catenam magnam in manu sua, qui apprehendit Draconem, serpentem illum antiquum, qui est Diabolus, & Satanas & vinxit eum ad annos* 1000? Annon Angelus ille est *Christus?* an vero corporaliter sive in corpore suo glorificato tum descendet, an tantum spiritualiter, clarius determinandum relinquo?

Quæstio 97. *Mille illi anni* sexies in hoc capite memorati, annon 1000 annos propriè dictos significat? Annon vero Sabbatum illud dierum & annorum sub lege factum Sabbatum hoc mundi, in millenio mundi septimo, præfigurabat, quemadmodum 6 illa mundi millenia præcedentia 6 illis diebus laboris figurata sunt, ad cujus mysterium *millenii* pro *die* positi, annon loca illa Scripturæ plane respiciunt *Psal.* 90. v.4. 2. Petr. 3. 8. Dei hoc autem die sive tempore præclaro, annon Prophetæ multa præclara & magnifica vaticinati sunt, *Psalmo* quoque 92, qui pro Sabbato inscribitur, annon tempus illud præclarum respicit?

cit? Porrò annon dies ille idem est de quo *Esaias* est vaticinatus, dicendo, *lucem unius diei fore ut lucem 7 dierum Dominumque in die illo solum exaltandum fore*? Quin de præclaro hoc millenio futuro, & Sabbato, in quo Sancti omnes a mortuis in vitam denuo vocati beatissimam pariter & sanctissimam vitam ducent, super terram non solum Doctiores multi apud Judæos, sed patres quoque multi apud Christianos in sæculis primitivis fidem suam & spem declaraverunt, atque in istius rei fide in maximis suis perpessionibus, & vitæ mortalis periculis gavisi sunt?

Quæstio 58. Annon Sancti omnes, qui a primordio mundi aliquando vixerunt sive pro nomine Dei occisi fuere, sive morte naturali obierunt, in millenio futuro, in vitam corporalem excitabuntur? Annon enim resurrectio hæc pars quædam præmii Sanctorum est tum magnorum tum parvorum, secundum Apocal. 11. v. 18. & Exod. 20. v. 2.

Quæstio 9?. Annon Sancti in vitam excitandi corpora habebunt carnis, non quidem qualia nunc homines habent, sed multo præclariora, & quale fuerat corpus *Adami* ante lapsum, dum in *Paradiso terrestri* degeret, & quale etiam fuerat corpus Domini nostri *Iesu Christi* ante mortem ejus, quæ corpora Sanctorum tandem sunt in fine millenii septimi in spiritualia transmutanda,

tanda, *in quibus ad occursum Domini in cœlum ascendent?* Annon vero istud mysterium respexit Paulus dicendo 1. Cor. 15. *sicut portaverimus imaginem terrestris Adami*(prout nempe erat ante lapsum) *portabimus quoque imaginem cœlestis, nunc in cœlis glorificati?* Annon vero Prophetæ præsertim autem *Daniel* & *Oseas* de tali *prima Resurrectione* vaticinati sunt *Dan.* 12. v. 2. *Ose.* 6. v. 2? Annon denique Paulus 1. Cor. 15. duplicis corporis statum plane describit, primum quidem, *animalem*, deinde transacto millenio, & postquam finis erit mundi sæculorum, *spiritualem? Et corpus* inquit, *animale, & corpus spirituale, sed non prius quod spirituale, sed quod animale, & deinde quod spirituale.* Annon quoque illud est præmium contentorum a *Christo* promissorum, *in sæculo illo*, quo *venerit in gloria patris sui?*

Quæstio 100. Quemadmodum vero (*a*) *Sabbatum Iudæorum* incepit in fine, sive vespera sexta diei, annon quoque beatissimum hoc *mundi Sabbatum* in fine sexti millenarii, & priusquam sextum desinat incipiet? Et quia totum tempus hujus mundi *septimana* esse videtur 7000 annorum, nisi seculum hoc felix mille annorum inciperet, ante 6 mille annos completos, nullum esset annorum residuum, post transactum millenium? Quod vero dabitur

(a) Sabbatum incipiet Ao. a Ref. Cir. 1740 vel a Co. No. 177¼.

tur aliquod annorum residuum post millenium transactum ex Apoc. clare liquet, quod ipsum a *Iohanne exiguum* tempus vocatur, Apoc. 20. v. 3. Num vero *exiguum illud tempus* annos contineat 260, sic ut mundi felicissimum illud seculum incipiat circa annum mundi 5740, & *Christi* a mortuis excitati 1740, puriori chronologiæ, prout eam alicui Deus aperire dignabitur, determinandum relinquo.

Quæstio 101. Quomodo sancti in vitam corporalem super terram denuo excitabuntur, cessante matrimonio, & carnali maris & feminæ copulatione? An Sancti omnes ex virginibus nascentur, prout *Christus ex virgine natus erat?* An quemadmodum Deus olim *Adamum* ex limo terræ fabricasset, aut alio quovis modo rei majestati conveniente, explicatu dignissimum est, si cui hoc *Deus* revelaverit?

Quæstio 102. Duo ultima capita Apocalypseos, annon præclarissimi sanctorum, sive Ecclesiæ Dei status descriptionem continent, toto millenii istius futuri intervallo, & usque ad mundi finem.

Quæstio 103. *Novi cæli & nova terra Cap.* 21. 1. & *Ies.* 65. 17. & 66. v. 2. & 2. *Pet.* 3. 13. annon fient ad initium millenii futuri? Quomodo vero *primum Cælum* & *prima terra* abibunt; an in nihilum redigeutur? Vel potius, annon primum illud sive vetus Cœlum & terra, mutatis quali-

tati-

tatibus convertentur in nova? Quod vero Petrus dixit *Justitiam habitaturam in terra ista nova*, annon satis innuit justos homines eandem inhabitaturos, nam & ipse cum aliis Sanctis eandem terram novam expectabant?

Quæstio 104. Annon in tempore *millenii futuri*, semen aliquod peccatorum manebit, prout ex *Ies.* 65. v. 20. 25. apparet? Ex illo enim semine peccatorum relicto producetur, sive multiplicabitur *exercitus Gog & Magog* post finitum millenium, peccatores autem illi durante millenio, annon penitus sanctis erunt subjecti?

Quæstio 105. *Conflagratio illa mundi*, de qua vide 2 *Pet.* 3. v. 10. *Ies.* 66. v. 15. 16. *Malach.* 4. v. 1. An simul fiet aut per partes? An denique omnes destruet, aut plerosque tantum peccatores? Annon enim quidam etiam peccatores immunes ab hoc incendio servabuntur, (Babyloniis interim penitus deletis) quemadmodum in arca *Noe*, simul cum justis quibusdam, *Ham* etiam cum uxore sua a diluvio immunes custodiebantur, ex quibus pessimum genus peccatotum postea exortum est?

Quæstio 106. Intra sexti sigilli intervallum viz. ab anno *Christi* a mortuis excitati 1666 ad annum 2000 annon *duplex sanctorum genus* super terram invenietur? Unum quidem *primam resurrectionem adeptum*? Alterum vero eam *nondum adeptum*, sed spem

ſpem habens infallibilem, poſt mortem etiam intra tempus prædictum, eam adipiſcendi? Annon autem de poſtremo hoc genere Sanctorum, verba *Ieſaiæ* ſunt intelligenda. Iſai. 65. v. 20. *Qui centum eſt annorum morietur ut adoleſcens ſive pueri. Tales* enim ita morientur, prout Moſes olim mortuus eſt, cujus (dum moriebatur) *oculus non obſcurabatur, nec vigor ejus naturalis imminuebatur.* Deut. 34. v. 7. *Moſes* enim non propter ægritudinem aliquam aut vigoris defectum mortuus eſt, ſed tantum ut fato divino locum daret? Annon quoque & omnes Sancti mortales hoc modo morientur nondum primam reſurrectionem adepti, ut ſic hoc modo moriendo, eam adipiſcantur?

Quæſtio 107. Primæ reſurrectionis filii, annon ex omni parte, ſcilicet tam internè quam externè *filii Dei* erunt, & ab eo tanquam a patre ſolo geniti, quod annon ſatis clarè innuitur verbis illis *Iſai.* 66. v. 9. *An ego qui generationem aliis tribuo, ſterilis ero*, ait *Dominus*, ſecundum vulgati verſ. Lat.

Quæſtio 108. verba illa *Apocal.* 21. 4. *Et mors non erit amplius, nec luctus, nec lachrymæ, annon* plane innuunt Sanctos primam reſurrectionem adeptos, nunquam poſtea morituros, ut nec internè nec externè, ſed toto millenio victuros ſanctiſſimam pariter & beatiſſimam vitam ſuper terram.

Ad

Ad finem vero millenii (postquam scilicet omnes sancti mille annos vivendi super terram compleverint) annon *immutabuntur, simulque ad occursum Christi in cœlos ascendent*, prout Christus post resurrectionem in cœlos ascendit? Vita autem Sanctorum per mille annos annon clare significatur verbis *Isai.* 65. v. 22. quæ Justinus Martyr sic legebat, *sicut dies vitæ arboris, ita erunt dies populi mei*, ut significetur hominis sanctificati reditus ad felicem illum statum Adami, in quo ante lapsum existebat, dum vesci de ligno vitæ permittebatur quum mortem adhuc nesciebat, quia nondum de fructu vetito gustasset?

Quæstio 109. Verba illa Apoc. 21. 1. *Et mare non amplius*, quomodo sunt intelligenda? An mare hîc allegoricè pro tribulationibus mundanis ponitur? Vel annon etiam de mari quocunque externo mediterraneo, insulas tum a se invicem tum a reliquis terræ partibus continentibus dividente, intelligi poterit? Sicut quicquid aridæ terræ sit simul in uno loco existat, prout etiam ante diluvium ita extitisse probabile est?

Quæstio 110. Quare dicatur *Sancta illa Civitas de Cœlo a Deo descendere Apoc.* 21. v. 2? Annon hoc planè innuit, sanctos quosque nunc in cœlo existentes tempore millenii descensuros a cœlo in terram, ut in terra vivant mille annos prædictos vitam divinissimam

ſimam & maxime cœleſtem, ut tandem pro majori gloria, qua in cœlis fruentur, tranſacto millenio, pro ſæculis univerſis, præparentur? Dum enim hic vixerint, *Deus* erit cum illis, & in illis, ſicque nullum damnum deſcendendo patientur, ſed multum quoquomodo lucrabuntur?

Quæſtio 111. Verba illa Apoc. 21. 6. 7. *Sitienti dabo de fonte aquæ viventis, gratis, qui vicerit omnia hæreditabit, & ero illi Deus, illeque filius meus erit*, annon ad eos primam reſurrectionnem nondum adeptos reſpiciunt, qui adhuc cum inimicis & tentationibus ſpiritualibus luctantur? Tales autem omnes ad annum Chriſti a morte excitati bis milleſimum anſam habent primam illam Sanctorum reſurrectionem adipiſcendi?

Quæſtio 112. *Duodecim illæ portæ, ſive Januæ Sanctæ civitatis quibus ſunt nomina 12 tribuum Iſraëlis inſcripta*, annon clare innuunt gentiles quoſque fideles, cum Judæis & Iſraëlitis fidelibus in unum corpus fore conſociandos, omneſque ſalvandi de gentilibus ad 12 tribus Iſraëlis annon pertinebunt alii ad alios?

Quæſtio 113. *Nomina denique 12 Apoſtolorum ſuper 12 fundamenta iſtius civitatis inſcripta*, annon ſignificant hanc ipſam civitatem Sanctorum Apoſtolorum doctrinâ & miniſterio fuiſſe congregatam & ædificatam, ipſoſque 12 Apoſtolos primaria fore

iſtius

istius membra, & quasi fundamenta Jesu Christo Domino primario fundamento & *lapide Angulari* super omnes & in omnibus existente?

Quæstio 114. *Quare dicatur civitas hæc in quadro posita esse in formam cubi*, non autem globi? annon hoc significat stabilem civitatis hujus conditionem & statum, prout quidem terræ rotunditas volubilem ejus conditionem, cum mortalibus in ea degentibus significat?

Quæstio 115. An aliæ quædam Sanctæ animæ, quæ nondum prius in terris vixissent in seculis mundi præcedentibus, in corpora descendent in millenio futuro?

Quæstio 116. Ratio sive proportio sanctæ civitatis ad terram universam collata, aliquid supra 60 milliaria, uni gradui terrestris globi assignando & intra 61 milliaria, habebitne se ut 52 1/7 ad 12? qualem quidem rationem ad annum integrum habet unica septimana, quin & omnis hujus mundi ætas a principio ad finem ad instar septimanæ esse annon videtur? Quid vero mysterii habeat harum duarum rationum similitudo, modesta & sobria inquisitione digna videtur?

Quæstio 117. An cibo & potui usus ullus erit degentibus in hac civitate? aut quali cibo utentur? annon Paradisico terrestri, qualis olim fuerat ille cibus quo Adam ante lapsum vescebatur?

Quæstio 118. Verba illa *Apoc.* 21. 23. *Et civitas illa non indigebit Sole aut Luna*, annon etiam quoad literam ſunt intelligenda? Utcunque enim Sol & Luna, cum ſideribus tum luceant & virtutem ſuam exerant aliis animantibus, Sancti primam reſurrectionem adepti aſtrorum illorum luce aut virtute non indigere videntur.

FINIS.

Septem

INDEX.

S.

4. 9. Dic. 1720

Seelen
[illegible]
Sue
Ende
Salo-
mon.